

CAMPANO (Giovanni Antonio)

ELEGIARUM ET EPIGRAMMATUM OCTO LIBRI

(5466 vers)

La présente édition de l'oeuvre poétique complète (1) de Campano est une transcription - que nous avons faite manuellement - de l'édition de 1502, préparée par Michele Ferni et publiée à Venise chez Bernardino Vercellense (deux exemplaires sont accessibles, en fac-similé, l'un sur Gallica, l'autre sur Camena, ce dernier de bien meilleure qualité que le premier).

Ce texte de l'oeuvre poétique complète de Campano, outre les difficultés de lecture propres aux incunables, contient de très nombreuses erreurs et lacunes. La comparaison avec l'édition de Burchard Mencken (Leipzig, 1707) - qui reprend le texte de 1502, en le corrigeant abondamment pour qu'il soit conforme aux règles de la métrique - nous a permis de le rendre plus acceptable. Il semble toutefois que l'éditeur allemand ne s'intéressait guère à la métrique logaédique. Nous avons donc dû, pour ces pièces, amender de nombreux vers.

En dépit de tous ces efforts, nous sommes persuadé qu'il reste, dans cette édition, mainte erreur et imperfection. Nous serions reconnaissant qu'on nous les signale.

(1) L'édition de 1964, par F. Analdi, Lucia Galdo Rosa et Liliana Monti Sabia, est un choix de poèmes de 729 vers. Quant au *Carminum appendix* de P. Cecchini (1982), il compte moins de 300 vers.

LIBER PRIMUS

E1_1	v.1	Mollis ades Cytherea, novos deflemus amores,
	2	et ferimur tepidis in tua regna notis.
	3	Turpe quidem teneras poscunt leviora Camenas,
	4	dimittit prima cum nova barba manu.
	5	Turpiter ad palum media veteranus arena
	6	ludit ; habet metas stulta juvena suas.
	7	Nos tamen inviti Paphios urgemur ad ignes,
	8	fertur ut in sanctas hostia vincta dapes.
	9	Liber eram, nulloque olim vexabat amore,
	10	et nil quod nollem ferre coactus eram :
	11	occulte subiique jugum, collumque tetendi ;
	12	ah demens tacita commodus arte capi !
	13	Sic tauri blandaque manu laqueoque latente,
	14	indomiti primum sic capiuntur equi.
	15	Cur ego vix notam potui laudare puellam,
	16	et furtiva meo subdere ligna rogo ?
	17	Cur precibus flector blandis, alienaque flamma,
	18	dum mihi cantata est, incipit esse mea ?

19 Ipse mihi feci, quem nunc male perfero morbum,
 20 quo mox infelix deperiturus eram.
 21 Captus agor, rapido tenuis ceu turbine pulvis,
 22 et nullo possum stare mihi arbitrio.
 23 Dulcis libertas, carique, valete, propinqui,
 24 haec dare nunc vobis ultima verba queo :
 25 res, amor, ingenium, faciles in carmina nervi,
 26 a domina vobis cuncta petenda mea.
 27 O nostrae subsint utinam praesagia linguae
 28 quamque meam dixi, sit, precor, illa mea !

AD DIANAM.

E1_2 v.1 Peliacas primum mirata est Troja carinas,
 2 Haemonias spectans per freta vasta manus ;
 3 undique discurrunt, Sigeiaque litora complent,
 4 it Priamusque puer, Laomedonque senex ;
 5 inde alii, atque novas mirantur Jasonis artes,
 6 aequoreumque putant litore adesse deum.
 7 Cum diri saevos mortis furor ivit in enses,
 8 praebuerat nostris non leve numen avis.
 9 Primus opes alius fulvo cum vidit in auro,
 10 quam cupidus censes hunc habuisse manus.
 11 Et nova delectant animos, capiuntque tenetque,
 12 inde etiam factos creditur esse deos.
 13 Jupiter unus erat laetis Cydonius oris,
 14 et Venus in Paphiis una reperta jugis ;
 15 Mars unus Beticis, Liber pater unus in Indis
 16 ingenio, forma non habuere pares.
 17 Hinc rudis et facilis mirari cuncta vetustas
 18 quos raros vidit, credidit esse deos.
 19 Ergo tam rara facie, vultuque, Diana
 20 exspectes nostra tura Sabaea manu.
 21 Id tibi ne desit ; proprium indulgere deorum est,
 22 si capies nostras, es dea magna preces.

CONQUERITUR DE FATIS.

E1_3 v.1 Fata, meos totiens, quae sic renovatis amores,
 2 cur in formosos cogitis ire deos ?
 3 Non mea Caesareos ostendunt parva triumphos
 4 limina ; Dardaniis non ego natus avis ;
 5 picta nec exornant ingentem stramina lectum,
 6 nec mea pupureo murice tincta toga est.
 7 Non lepus invicto speret placuisse leoni :
 8 bubo Jovi sacrae perniciosus avi.
 9 Par sit amor, premittiturque gravi bos impar aratro,
 10 et minor in currum non bene cessit equus.
 11 Quicquid habet socium, pariter concurrere oportet,
 12 ut sedet aequato mensa vel urna pede.
 13 Divinum est quod amo, nec fallit opinio, verum
 14 illa deo major, sum minor ipse viro.
 15 Sors mea dura tamen, rivalibus obvia mille,
 16 nec tueor partes jam satis ipse meas.

17 Hic placet argento, placet ille potentior auro,
 18 nummosi quantum vix capit arca fori :
 19 alter equo niveo bellumque minantibus armis ;
 20 traditur hoc Veneri Mars placuisse modo ;
 21 ille toga insigni et manicis gemmisque nitente ;
 22 ille potest oculis, ille placere coma.
 23 Sunt quibus illustres atavi titulique parentum
 24 atque sua faveant parta tropaea manu.
 25 Sanctior illa licet veteri graviorque Sabina,
 26 aequet Spartanas integritate nurus,
 27 non durare potest cui tot simul arma parantur ;
 28 ictibus in crebris robora magna cadunt.
 29 Dura licet perstet, teretique simillima saxo,
 30 lata si assidua ferrea massa rota.

AD BRACCIUM

E1_4 v.1 Bracci, quem niveae pares puellae
 2 ceperunt laquei tenentque captum,
 3 ambos una trahit manus catena,
 4 formosaeque sumus rapina dextrae.
 5 Armis cum placeas, at ipse versu ;
 6 auro terga micant tibi, mihi atra
 7 squallet sordidulo lacerna filo.
 8 Et vultu capior tamen Dianae :
 9 o quantum est animi tuo poetae !
 10 Tu claros titulis refers parentes ;
 11 obscurum modicae genus Cavellae
 12 nobis exiguis dedere tectis ;
 13 omni tu statuis loco tropaea
 14 et toto celebres in orbe ludos :
 15 fumosus vacua sub aede vates,
 16 vicinum metuo tremens Decembrem,
 17 nec raucoque foro deumque templis
 18 Campanum gelidae vident pruinae.
 19 Clari militiae tuae triumpho
 20 Tyrrenamque plagam sacramque Romam
 21 complent, dum tetricae faves Dianae.
 22 O duros animos ferumque pectus !
 23 Quam tu nec precibus moves, nec armis,
 24 sed vincunt tenerae truces Camenae.
 25 Sint illae rigidis pares Sabinis,
 26 Thermodontiacas secentque mammas,
 27 laudari cupiunt tamen puellae.

AD SOLEM.

E1_5 v.1 Nunc ego, Phoebe, tuos vidi nitidissime currus
 2 quantaque nocturnis Luna vehatur equis.
 3 Haud aliter referat portas aurora rubentes,
 4 haud aliter nitido Lucifer axa venit.
 5 Stabat sublimi formosa Diana fenestra,
 6 subjectam populo praetereunte viam.
 7 Illa suos in me longum defixit ocellos,

8 tunc caligo oculos obruit atra meos.
 9 Incalui fateor ; subitoque accensus ab igni,
 10 o vati, dixi, parce, puella, tuo.
 11 Turba frequens aderat, qualis Berecyntia mater
 12 evehitur, Phrygiis conspicienda rotis.
 13 Undique concurrunt populi ; stans illa superbis
 14 turribus Idaeas despicit alta nurus.
 15 Miranturque stupentque viri studioque videndi
 16 ante pedes alter concidit alterius.
 17 Haud aliter coetus sua post vestigia cogit
 18 attonitosque facit nostra Diana viros.
 19 Illa faces oculis jactat risuque sagittas,
 20 et numquam segni spicula missa manu.
 21 Quam si Maenalias videas errare per umbras,
 22 Jupiter, hanc fieri non patiere bovem.
 23 I procul hinc, Juno, procul hinc, Saturnia, dices,
 24 in nostros ibit altera Juno toros ;
 25 esseque perpetuo tecum patieris Olympo
 26 et tua candenti sceptrum tenere manu.

AD DIANAM

E1_6 v.1 Saepe tuas dixi laudes tituloque canenti,
 2 vultu materiae conveniente : fave.
 3 Quippe tuos in me quoties deflectis ocellos,
 4 proveniunt ipso carmina digna Jove.
 5 Si me subridens placidoque tuebere vultu,
 6 non mihi Maeonides antefendus erit.
 7 Saepe equidem Aonias volui temptare Camenas :
 8 nil, ait ex illis una, poeta facis.
 9 Quod petis haud nostrum est numem nec habemus amandi,
 10 ex alio tibi sint ista petenda loco.
 11 Sunt gelidae nobis undae fontesque nivales ;
 12 flammeus accensus ignibus ardet amor.
 13 Illi incesta placent, vultu caret ille pudico :
 14 purpureum nobis flava Minerva dedit.
 15 Haerebam, nec me possem quo ferre, sciebam,
 16 mensque opus inceptum destituisse fuit.
 17 Cum sic Calliope viridi celeberrima lauro,
 18 Calliope, votis semper amica meis.
 19 Nec dubita, vates, operi nec sefice tanto ;
 20 coepta virum fortem deseruisse pudet.
 21 Turpiter incepti vereare pericula belli ;
 22 Marte bonus miles non nisi victor abit.
 23 Nec tamen auxilio careas ; adeunda Diana est.
 24 Numquam tam justas respuet illa preces ;
 25 et vultu, et verbis, placida quoque mente favebit,
 26 ingeniumque tibi materiamque dabit.
 27 Fama placens volucres effert super aethera pennas,
 28 et juvat illa homines, et juvat illa deos.
 29 Vade igitur, nec te visus deterreat asper,
 30 si primum vultus contrahet illa suos.
 31 Perge : pudor decuit primum, mora turpiter auget ;
 32 aspera quae fuerat, postmodo mitis erit.
 33 Sic ubi delatam reddet formosa salutem,

34 adventus causam percipietque tui,
 35 quos tibi tunc lusus, quae verba procacia dicet ?
 36 Tu modo in amplexus ne velis ire, cave.
 37 Cetera praestabit : tu mille in carmina vires.
 38 Singula erunt certis verba notanda modis.
 39 Si latus exeruit, nudaeque fuere papillae,
 40 in calamum veniet Pegasis inde tuum.
 41 Sin canet, et medio veniat tua nomina cantu,
 42 illita Pierio carmina melle fluent.
 43 Aestiva interdum forsatiabitur umbra,
 44 aura purpureas dissociante comas ;
 45 auctor eris dives, tunc uno in crine latebunt,
 46 materia versus exsuperante duo.
 47 Si tibi marmoreo detracta monilia collo
 48 candenti forsati porriget illa manu,
 49 tu, cape nec teneras audax instringito palmas,
 50 tange, sed has digitis suffricuisse cave.
 51 Non tibi conveniunt tam magnae praemia palmae :
 52 respuit ignavos area grandis equos.
 53 Tu contentus eas, mortalibus arma puellis
 54 tende ; Jovem solum tam bona praeda manet.
 55 Concubitus ausos magnarum agitare dearum
 56 Ixionem manes Pirithoumque tenent.
 57 Ille tuas ausus castas, Saturnia, taedas
 58 laedere, perpetuo viscere pascit aves.
 59 Ausus at hic magni temptare cubilia Ditis,
 60 aeterna Stygiis nocte premetur aquis.
 61 Has dare me leges, nec cogere in arta putato :
 62 lingua quidem tibi sit libera, casta manus.
 63 Haec mihi, Calliope. Faciles mihi sumere nervos,
 64 poscere promissam sum mihi visus opem.

AD EAMDEM

E1_7 v.1 Praedicat invisum cunctis me fama puellis,
 2 quod canimus laudes, bella Diana, tuas.
 3 Sit licet, hoc animo numquam patiemur iniquo ;
 4 cum reliquae invideant, tu tamen una fave.
 5 Nemo deos alios irataque numina curat,
 6 fautorem quisquis possit habere Jovem.
 7 At mihi quid cupidus rumor vagus impleat aures,
 8 et vates toto clarus in orbe ferar ;
 9 non matrona dabit vastis pinguissima mammis,
 10 nons anus aut tonsa foeda puella coma.
 11 Vatibus a rebus nomen titulique parantur,
 12 materia ingenium datque adimitque bonum.
 13 Non sibi, quos cecinit, de ramis nomen Homerus,
 14 non habet ; Aeacidiae grandius ore sonat.
 15 Qui pecus et silvas atque arva feracia scripsit,
 16 a Phrygio accepit nomina clara Duce.
 17 Sic ego, si pergam tenues laudare puellas,
 18 infimus obscura nube poeta premar.
 19 At si formosae celebrabimus ora Dianae,
 20 contingam fama sidera celsa mea.
 21 Quare age, tam plenos falcem mittamus in agros,

22 non poteris vacuas inde referre manus.
 23 Quocumque intendes, laudum cogentur acervi ;
 24 obruat ingenium copia magna, cave.

AD PENNINUM.

E1_8 v.1 Cur ego sic laudem, quaeris, Pennine, Dianam ?
 2 Da veniam, videor jam mihi factus amans.
 3 Ut, cum patroni causas egere clientum,
 4 sollicitos in re dixeris esse sua ;
 5 testibus et tabulis late subsellia complent,
 6 verbaque dant toto percipienda foro.
 7 Non sua conductus peragens fera proelia miles
 8 incalet et tamquam sint, gerit illa, sua.
 9 Sic mihi nunc ignes alienaque furta canendo
 10 jam videor partes et mea bella sequi.
 11 Non tamen ut quicquam veteres fraudemus amores ;
 12 militiae juvant castra priora meae.

SOMNUS

E1_9 v.1 Fessus eram somnusque meos laxarat ocellos,
 2 nocte polum, Stygias sole tenente vias.
 3 Ecce puella comis circum sua tempora sparsis,
 4 ante meum visa est maesta sedere torum.
 5 Attonitus subito mirantia lumina flexi,
 6 occuluit vultus protinus illa suos.
 7 Accedo propior, cupidus cognoscere, quaenam
 8 esset, et est nostra paene resecta manu.
 9 Artius at sese circum sua pallia volvit,
 10 et turbata manus reppulit illa meas.
 11 Quid faciam ? Ignoro. Neque enim vim ferre licebat
 12 nec mihi tunc animus, si licuisset, erat.
 13 Inspicio, totamque noto, totamque pererro,
 14 notitiam siqua cognita signa darent.
 15 Dejectas vidique comas cultuque vacantes,
 16 natorum quales funere mater habet.
 17 Interea exiguo suspiria murmure sensi,
 18 paucaque, sed dubio prodita verba sono.
 19 Interdum lacrimas digitis siccabat opertis,
 20 Heu mihi ! Nam de me signa querentis erant.
 21 Protinus agnovi, mediam complexus, amantem,
 22 nec potui lacrimas ipse tenere meas.
 23 Cumque loqui vellem tristesque exstinguere curas,
 24 dirigit subito lingua retenta gelu :
 25 Quid mihi tunc animi, gelidis cum Sylvia membris
 26 ante meos lapsa est exanimata pedes ?
 27 Heu mihi ! nam fuerant glacie stridentibus Euris
 28 pectora et Alpina frigidiora nive.
 29 Mox ubi vitalis gelidae calor ossa recepit,
 30 sustinuit vultus non tamen illa meos,
 31 maesta sed assiduis singultibus ora replebat,
 32 et tenerae lacrimis immaduere genae.
 33 Tunc ego me totum devovi, et dira vocavi

34 sidera, tunc saeva morte perire fuit.
 35 Nec, cur ploraret, misero mihi scire licebat,
 36 ut qui nullius criminis auctor eram.
 37 Fortius amplexus, vultus atque oscula jungo,
 38 illa meas lacrimas ebibit, ipse suas.
 39 "Me miserum, cur me perdis, mea Sylvia ? dixi,
 40 cur vultum averso defugis ore meum ?
 41 Ille ego sum qui te teneris dilexit ab annis,
 42 ille ego sum primus, quem tibi junxit amor.
 43 Parce, precor, lacrimis incendere, lucida testor
 44 sidera, quo doleas, criminis esse nihil.
 45 Specta, inquam, vatemque tuum, tua gaudia conserva,
 46 seu dolor hic animo, seu cadat ira, precor."
 47 Nomine sic vatis lacrimae fluxere per ora,
 48 Phoebus ut hibernam de nive stillat aquam.
 49 Inter mille tamen suspiria faucibus hiscens :
 50 "Certe olim vates tu meus, inquit, eras".
 51 Tunc ego me primum agnovi sensique nocentem,
 52 haesit et in toto protinus ore rubor.
 53 Heu mihi ! quam vellem nullas vidisse Camenas
 54 nullaque Apollineae fila canora lyrae !
 55 Pieridasque deas totumque Helicon perosus,
 56 quae lacrimis dominae causa fuere meae,
 57 inter mille preces jurataque numina, coepi
 58 sic, illa nil me jam fugiente, loqui :
 59 "Caelestesque deos aeternaque sidera testor,
 60 caraque defunctos nomina testor avos,
 61 nil mihi commissum et nostrum sine crimine amorem
 62 semper ad hunc pure continuasse diem.
 63 Ante lapis fruges tellusque alet arida pisces,
 64 ante ferent ignes aequora, Phoebus aquas,
 65 ex animo quam tu possis discedere nostro,
 66 et fiam dominae non memor ipse meae.
 67 Sidera te et nullas umquam mutanda per artes,
 68 ne dubita, nobis fata dedere deam.
 69 Fata dedere, datos ipsi succendimus ignes,
 70 nunc rogos est, tepidus qui fuit ante cinis.
 71 At si qua nostra caeci peccavimus arte,
 72 auctore invito, crimine culpa caret.
 73 Quod mea tam vigili studio cecinere Dianam
 74 carmina, non ullus (crede) coegit amor.
 75 Stant jurata semel, nullo violanda furore
 76 pectora, quae flammis incaluere tuis.
 77 Quae tamen impulerit, causam fortasse requires,
 78 curve meo coepta est ore Diana cani ;
 79 forsitan et quae sit (neque enim potes omnia scire)
 80 diversa multum nata puella plaga :
 81 Te placido genuit mitis Campania caelo,
 82 fert ubi purpureas horrida bruma rosas ;
 83 hanc Perusina tenet gelido sub sidere tellus,
 84 volvit arenosas hic ubi Tibris aquas.
 85 Cuncta tibi referam, lacrimas modo siste madentes,
 86 et paulum vultus intueare meos.
 87 Paruit, et sese cupidus rejecit in ulnas,
 88 inque meas totam se dedit illa manus.
 89 Tunc ego me felix superisque beatior ipsis

90 sensi vel magni sceptrā tenere Jovis.
 91 Ante sed ut loquerer, centum tamen oscula carpsi,
 92 illaque nunc oculis, nunc rapiendo genis,
 93 incipio : "Varios longum, mea Sylvia, casus
 94 dicere, Tyrrhena sum quibus actus humo.
 95 Sic ubi fata novas dederunt me quaerere sedes,
 96 infelix patrios deseruique lares,
 97 Tuscia jactatum per mille pericula cepit,
 98 et placidas sors me compulit ire Senas.
 99 Tunc ego me, nulla rursus surgente procella,
 100 credideram portus applicuisse meos.
 101 Sed nova tempestas felicibus obvia gestis
 102 reppulit in tumidum nautica vela fretum.
 103 Belliger Alphonsus, spoliis insignis opimis,
 104 magna gerit terra proelia, magna mari.
 105 Protinus attonitos bello petit asper Etruscos,
 106 Tyrrhenas Siculi depopulantur opes ;
 107 arma sonant, vici passim capiuntur et urbes,
 108 accipiuntque novi flammea signa ducis.
 109 Oppida dira fames, exhausta furentibus armis,
 110 insolito cogit subdere colla iugo.
 111 Quid facerem, ad pacem securaque ad otia natus ?
 112 Bella insueta mihi ferre coactus eram.
 113 Haec ego cum fugerem discrimina, plura subivi,
 114 paeneque sum tristi perditus ipse fuga.
 115 Est locus obscura penitus cum valle repostus,
 116 nomen ob effectus Orcea vallis habet ;
 117 stantque duo montes caelumque cacumine tangunt,
 118 imus et angustis faucibus Orcus hians.
 119 Hic me sorte mala fugientem et tuta petentem
 120 hostiles ferme corripuere manus.
 121 Fraxinea egressi nudis mucronibus umbra
 122 intentant lateri spicula dira meo.
 123 Tunc me per saltus perque invia lustra ferarum
 124 praecipiti memini disiluisse fuga.
 125 Abdita sic leporem per prata virentia euntem
 126 latratu invadit turba cruenta canum.
 127 Hic a fronte obstat premit ille fugacia terga,
 128 in latebras ne qua suffugere ille queat.
 129 Heu quoties haesura meo fera spicula tergo
 130 abrupta metuens praecipitabar humo !
 131 Quo minus illa tamen nostros adiere lacertos,
 132 roboribus saepe est silva morata suis.
 133 Sentibus hirsutis fugientia crura notatus,
 134 vix atrum egredior, hoste premente, nemus.
 135 Nudus ut evasi (nam quae jumenta vehebant,
 136 hostibus, heu miserum, praeda fuere meis)
 137 destituor, numquam visa regione pererrans ;
 138 cura sed amissi maxima fratris erat.
 139 Hunc ego credideram fati peioribus actum,
 140 hostili caesum procubuisse manu :
 141 dissecuique genas obtusaque pectora planxi,
 142 silva meo late crebuit icta sono.
 143 Mox tamen ut reducem montano e culmine vidi
 144 quaerere me attonito per nemora alta gradu,
 145 laetitia exortae lacrimae, simul ipse cucurri,

146 et simul : "Huc, dixi, me, pie frater, adi.
 147 Quae mihi nunc eademque tibi fortuna pepercit,
 148 eque uno erepti nunc sumus igne duo.
 149 Cetera quae nobis vitam servavit, ademit,
 150 utque vides, ambo corpora nuda sumus.
 151 Sit licet et tulerit, potuit quoque tollere casus,
 152 Fortunam fuerint quaeque secuta suam,
 153 una tamen virtus nullis tollenda periculis
 154 destitui nostrum non patietur iter ;
 155 solaque nos terra, nos haec comitabitur unda,
 156 nec tantis faciet succubuisse malis.
 157 Ergo quo nos fata vocant quo sidera, eamus :
 158 dent modo di nostrae vela secunda rati."
 159 Protinus amplexi lacrimis indulsimus ambo,
 160 et tandem ignota coepimus ire via.
 161 Interea Oceani Phoebus properabat ad undas,
 162 et vaga nocturnos Luna ciebat equos ;
 163 per silvas ferimur per opacaque lustra ferarum,
 164 exululant rapidi nocte silente lupi.
 165 Plenaque nocturni veniunt simulacra timoris,
 166 et gelidae aspectu diriguere comae.
 167 Mox, ubi surgentem nitidus fert Lucifer axem,
 168 et dubio apparent sidera rara polo,
 169 errantes noctu nemorum dimittimus umbras,
 170 et ferimur pulso per loca tuta metu.
 171 Cumque tot essemus variis erroribus acti,
 172 errorum metas urbs Perusina dedit.
 173 Hic mea jactatae subsederat ancora puppis
 174 fixa nec horrenti discutienda Noto.
 175 Est domus illustris Balionia sanguine avorum,
 176 e qua magnanimi mille fuere duces ;
 177 hi nobis patriique Lares sanctique Penates,
 178 haec mea post illam tecta fuere fugam.
 179 Ter pater Arctoum Phoebus pervenit ad axem,
 180 terque iterum Australi constitit ille polo.
 181 Huc quoque venit amor caeco metuendus ab igni,
 182 factaque sunt media flammea tela domo.
 183 Vidi ego discussas alis ardere favillas,
 184 lucere ardenti tecta corusca face ;
 185 qui licet edoctus contemnere fulmina amoris,
 186 pertimui, nec se sustinere pedes.
 187 Protinus ardenti collectam ex igne sagittam,
 188 ut volet, incerta dispulit ille manu.
 189 Braccius a laeva teneri securus amoris
 190 incauti exceptit spicula saeva Dei.
 191 Ingemuit tacitum subter praecordia vulnus,
 192 et miser in gelida concidit ictus humo ;
 193 sed neque quod cerni posset modo, vulnus habebat,
 194 e duro mollis milite factus amans.
 195 Incaluit visa, tamquam pix igne, Diana,
 196 vincla diu passus non replicanda Dei.
 197 Saepe novam cupidus segetem praecidit arator,
 198 presseruntque avidi turbida musta pedes ;
 199 aestuat ille tamen siccisque imitatus aristas,
 200 carpitur, ut flammam exagitante Noto.
 201 Mille dedit ludos, vidit certamina Roma,

202 qualia sunt ductu gesta, Quirine, tuo.
203 Innumeros vidit tellus Perusina triumphos,
204 ipsaque spectatrix saepe Diana fuit.
205 Omnia praestiterat, fidos imitatus amantes,
206 et voluit domina saepe vetante mori.
207 Maxima restabant tantarum munera rerum,
208 ut dominae faceret nomina clara suae.
209 Hoc neque muneribus poterat praestare, nec auro,
210 non si flaventis litora opaca Tagi.
211 Munera cum gemmis ipsi labuntur, ut anni,
212 ad finemque ruunt quaelibet orta suum.
213 Temporibus fragiles et longo carpimur aevo,
214 paulatimque cito radimur axe poli ;
215 cumque tot aspicias latis regionibus urbes,
216 totque per ingentes oppida sparsa plagas,
217 cuncta ruent : sic Troja stetit, sic alta Corinthus ;
218 pascit sulcantes utraque terra boves.
219 Dic mihi nunc , Cumae placidoque ubi litore Baiae ?
220 Alta, si nescis, sorpta premuntur aqua.
221 Labitur ipsa aetas nullo reparabilis auro,
222 multaque vix primo prodita flore cadunt.
223 Sic neque divitiae vitam praestare perennem,
224 lata nec immenso limite regna queunt.
225 Id soli possunt vates morituraque numquam
226 carmina, non ipsi dissoluenda Jovi.
227 Non ignis edax, non ferrum aut alta vetustas,
228 seraque posteritas obliterare potest.
229 Carmina radices latum sparsere per orbem,
230 ut nulla venti parte nocere queant.
231 Ante cadent alto caeli de culmine stellae,
232 exstinctus gelida Solque peribit aqua ;
233 flumina decursum, fluctus prius aequora sistent ;
234 decedent volucres aere, gramen humo ;
235 cuncta prius mansura cadent, victura peribunt :
236 carmina quam possit carpere longa dies.
237 Maeonides quantum montes et flumina, vivent,
238 Aeacides vivent Dulichiusque duces.
239 Temporis hoc noster vivet Maro, vivet Alexis
240 ipseque cum sero tempore vivet honor.
241 Haec igitur reputans, alto correptus ab igne,
242 ad vatam tandem Braccius arma fugit.
243 Magna petis, Bracci, vereor ne pondere tanto
244 aut premar, aut humeris excutiatur onus.
245 Fert bene loricamque suam galeamque minantem
246 miles, at alterius sustinet arma male.
247 Sic ubi vel tenui pendent ingentia ramo
248 poma, suum mire sustinet arbor opus.
249 Non sua si nectas, curvatus pondere ramus
250 subsidet, aut onere frangitur ille gravi.
251 Quid facerem ? Durum, meritis quae plurima nobis
252 contulit, ingratus si reputabar, erat.
253 Durius hoc multo, promissum fallere munus,
254 inque una dominos re statuisse duos.
255 Jam devota tibi primis a floribus olim
256 ingenii seges est quantulacumque mei.
257 Di modo maturis infundant gramen aristis,

258 inque tuas laudes plenus acervus eat !
259 Haec ego dum tacita repetens mente revolve,
260 rejeci cupidas illius usque preces.
261 Saepe "Tuos, dixi, posses ne laedere amantes ?
262 Quando fuit factis laesa Diana tuis ?
263 Stat tibi pacta fides, stant jura veterrima tecum ;
264 ut tua cara tibi, sic mea cara mihi est".
265 Risit et : "Hoc, inquit, nulli praestabis amori,
266 detur et hoc nostrae munus amicitiae.
267 Non dominam offendes, sed jura tuebere amantum,
268 accedet factis optima causa tuis.
269 Ut qui conflictus auditaque proelia narrat,
270 si modo nil gessit, crimine liber erit ;
271 non vetat illa tuum studium, non impedit artes,
272 vatibus accessas nec vetat ire vias.
273 Hoc cave, ne studio veteres fallantur amores,
274 teque novo captum sentiat igne capi.
275 Cum Paris Andromaches formam praesente Lacaena,
276 laudaret, numquam tristior illa fuit.
277 Cum tamen Oenonem Phrygiae praeponeret Idae,
278 iratas Paridis jecit in ora manus.
279 Sic tibi, furtivum si non agitabis amorem,
280 ignoscet, nec te crimen habere feret."
281 Motus eram, potui infelix ratione moveri,
282 officio visus deperiisse meo.
283 Cur miser instanti firma non voce negavi ?
284 Cur dederam faciles in sua vota manus ?
285 Quam poteram constare mihi, nec cedere blandis
286 vocibus ! O certas in mea damna preces !
287 Jam tunc incipiens laudes titulosque Dianae
288 scribere, sum visus displicuisse mihi.
289 Carmina proveniunt siccis manantia rivis,
290 ut quae non propriis fontibus orta, cadunt.
291 Cumque tuas canerem, dulcissima Sylvia, laudes,
292 ingenio exhibant flumina lata meo.
293 Sponte sua numeri, nil me cunctante, fluebant,
294 materia celeres exsuperante modos.
295 Nunc me nocturnusque labor curaeque diurnae
296 nequicquam, vena deficiente, premunt.
297 Currimus huc illuc, nullaque in parte moramur,
298 nimirum invita scribimus ista manu.
299 Nam neque amor tanti nobis est causa laboris,
300 nec vetus in carmen impetus ille venit.
301 Hoc tantum laetor, nil me peccasse volentem,
302 sed motum causa me magis esse bona.
303 Multa quidem potuere animos impellere nostros,
304 nec ratio officiis defuit apta meis.
305 At culpam fateor nostris in versibus unam,
306 quod pudet, injussu facta fuisse tuo.
307 Non bene promisso quemquam fraudamus honore,
308 nec bene spectatas perdit arator opes.
309 Quae tibi debentur, plenas metet altera fruges,
310 et leget audaci non sua poma manu.
311 Ah peream, crimenque meum, fera poena feratur,
312 perfidiae, fateor, poena luenda mihi est.
313 Sed prius alta ruant alto cum sidera caelo,

314 et terram gelidi sorbeat unda maris,
 315 quam quo laesa tuae est celeberrima fama juventae,
 316 postera servatum saecula cernat opus.
 317 Sed pereant versusque mei nomenque Dianae,
 318 et flamma, aut molli projiciantur aqua.
 319 Forte fuit propior flammis ardentibus ignis,
 320 huc volui coeptum ponere stultus opus.
 321 Illa manum tenuit tristemque coercuit iram :
 322 "Dum modo non sit amor, perfice, dixit, opus".
 323 Est amor ; esse tamen ne crederet illa, negavi,
 324 sic dominam visus conciliasse meam.

QUERITUR DE DIANA

E1_10 v.1 Quid faciam, sterili nequicquam fessus arena ?
 2 Ingenium exercet dura puella manum.
 3 Carmina, quae possent duros movisse leones,
 4 spernit, et est nostris facta supraerba malis.
 5 Vix tenui risu miserum succedit amantem,
 6 ni ridere illam tot mea damna putem.
 7 Rideat inque altos rumpatur saeva cachinnos ;
 8 si modo celsa volent sidera, tempus erit.
 9 Praeterita flebis cunctis invisita juventa,
 10 et turpem fieri maesta dolebis anum.
 11 Et modo quae magno spectaris prima theatro
 12 supremoque sedes conspicienda gradu,
 13 ante fores stabis lacrimis tua tempora pensans :
 14 Quid sum nunc ? Dices ; aspice, quidque fui ?
 15 Saepe licet positas sublimi sede puellas
 16 ut saltem possis infima stare roges
 17 excludere procul canis infecta capillis ;
 18 in toto de te mentio nulla foro.
 19 Dumque domum repetens ludos contempta relinques,
 20 occurram media forsitan ipse via :
 21 admonituque meo tristi mordebere cura,
 22 inque animum venient pristina facta tuum.
 23 Ah nimium simplex, juvenilia tempora perdis,
 24 quae sola fiunt deteriora mora.
 25 Aspice flaventes per prata virentia flores,
 26 pallentes violas pupureasque rosas,
 27 mane nitent, si mane legas, servantur in annum,
 28 contactae primo sole per arva cadunt.
 29 Carpitur immota clausum rubigine ferrum :
 30 fit melior tacta vomer aduncus humo.

PAX CONFECTA.

E1_11 v.1 Festa viri celebrate, imponite moenibus ignes,
 2 flammaque nocturnos lucida pellat equos.
 3 Pax venit et placido Tyrrenas alma per urbes
 4 ingreditur nulli non cupienda pede.
 5 Quae modo vexatis populis horrenda fremebant,
 6 securis tandem gentibus, arma latent.
 7 Palladii jamjam frontem cingamus oliva,
 8 dentur concordi mentrua tura deae.

9 Hoste vacant aditus, silva tutussumus ibis,
 10 nec premet attonitum turba cruenta latus.
 11 Mille licet portes argenti pondera et auri
 12 tuta tibi nox est, est tibi tuta dies.
 13 Conticuere tubae, veniunt citharaeque lyraeque,
 14 cymbala et a gemina sinistra sonanda manu.
 15 Excitat imbellis lascivos tibia lumbos :
 16 pax venit : euhoe ! tu quoque, Bacche, veni.
 17 Jam viridi video vulgus triviale corona
 18 psallere compositis ad sua rura modis.
 19 Bacche, veni, thyrsumque move, Diana choreas
 20 intrat, purpurea conspicienda toga.
 21 Nunc, pede sublato, celerem se volvit in orbem,
 22 nunc zephyrus tenuem turbine versat humum.
 23 Nunc lenta gradiens pensat vestigia planta,
 24 seu lenta incedat, seu gravis illa, placet.
 25 Stant circum cupidique viri blandaeque puellae,
 26 nec possunt oculos inde referre suos.
 27 Jam canit et vario flectit modulamina cantu,
 28 ut magnos posset voce movere deos.
 29 His stupet et tacita carpi sua viscera flamma
 30 sentit spectator, jam modo factus amans.
 31 Ut qui succensos veniat spectator ad ignes,
 32 quo propius spectat, hos magis ille calet.
 33 Pars dolet, et tacito damnat se murmure, quod sic
 34 spernitur, et nulli cura sit ipsa viro.
 35 Parcite formosae sit vos damnare puellae ;
 36 mortales non est cedere turpe deae.
 37 Aspicite ut nitido perluminet omnia vultu,
 38 qualis nocturnis Cynthia fertur equis.
 39 Sub pedibus florere agros et lilia vidi
 40 rure mea verno praetereunte dea.
 41 Pompa venit, comptaetque canunt hymenaea puellae,
 42 et tenera nuptae dant nova sarta manu.
 43 Illae hymenaea canunt, spectat nova turba Dianam
 44 inque unum coeunt lumina mille locum.
 45 Jane, pater divum, gemina qui fronte videris,
 46 claude catenata bellica templa fera.
 47 Ecce tuis palmae rugosaeque carica sacris
 48 dantur, et assuetae dulcia mella dapes.
 49 Pax quoque mitis ades nivea praecineta corona,
 50 ut videam dominae, tu facis, ora meae.
 51 Accipe odoratis pacata per oppida templis
 52 jam nihil attonita tura Sabaea manu.

ZONA.

E1_12 v.1 Felix, formosam medio cinctura puellam,
 2 zona, magistras quam poliere manus.
 3 Ibis et albatem tunc cum cingere per alvum
 4 et tenerum tanges semirelaxa femur.
 5 Non pigeat rauca suspiria ducere voce,
 6 voce dabis certas littera parva notas :
 7 cum niveos dominae struerer cinctura lacertos,
 8 terdenis Barris aurea zona fui.

9 Fibula celatos habitura Cupidinis arcus
 10 effinxit tactos teque virumque tuum.
 11 Ordine narrantur fulvis sic cetera bullis,
 12 ut vitae cernas quaelibet acta tuae.

AD DIANAM.

E1_13 v.1 Dic, formosa, precor, causamque ostende, Diana,
 2 cur, sine te, festi cernimus urbe nihil ?
 3 Sive canant sacrum dulces Hymenaea puellae,
 4 nuptaque purpureo compta vehatur equo,
 5 annua seu fiant lautis convivia mensis,
 6 et canat adjuncta blanda puella lyra,
 7 bellica seu celebrent duri certamina Martis
 8 hastaque pulvereo concidit icta solo,
 9 sive quid ad festosque dies et publica vota,
 10 sive quid ad sanctos pertineatque deos,
 11 semper ades, nec sponte quidem, sed prima vocaris ;
 12 adventum frigent quaelibet ante tuum.
 13 Nec sine te pompas audent celebrare puellae,
 14 nec sine te castos nupta subire toros ;
 15 bellica nec duri fiunt certamina Martis,
 16 ni sedeas alto conspicienda foro ;
 17 denique tu ludosque facis, sacrosque hymenaeos,
 18 tu sacra, tu magni ferrea sacra Dei.
 19 Turba frequens sequitur, numquam incommitata videris
 20 ut sequitur magnos longa caterva Duces.
 21 Quin cum corrumpat tristissimus optima livor
 22 turbaque mortales invidiosa sumus ;
 23 nemo tuam invideat nec vir nec femina formam,
 24 gaudeat aspectu femina virque tuo.
 25 Infima livor edax pariterque suprema relinquens
 26 in medio tantum luridus orbe volet.

AD GLORIAM SUI.

E1_14 v.1 Serta meo capiti componite laurea, vates ;
 2 artis et ingenii copia facta mihi est.
 3 Misimus en dominae modo condita carmina nostrae,
 4 nec dominae versus displicuere mei.
 5 Peligni cedant lusus, et blanda Tibulli
 6 Delia ; Galle, meis vinceris a numeris.
 7 Praebita materies longe est uberrima nobis,
 8 Maeonio quantum vix reor esse seni ;
 9 nomina sunt illis nimirum aeterna, sed error
 10 dicitur in scriptis saepe fuisse suis.
 11 Et modo rivalem, lacrimas modo ferre coacti,
 12 saepius occlusas pertimere fores.
 13 At mihi quid desit ? Blanda et formosa puella
 14 inventa est, ipso nec prohibente viro.
 15 Ille quidem largus, sed me sine crimine vidit
 16 conjugis ad mores incaluisse suae.
 17 Inde fluunt artes, inde incrementa capacis
 18 ingenii, et recto tramite currit equus.

19 Ergo ego sum vates, ergo mea tempora lauro
20 cingite, pro tanto munere, Pierides.

AD IGILLUM.

E1_15 v.1 Forte puellarum formas, Igille, notabam,
2 ad nostras venit cum tua charta manus.
3 Quaeris, ut in tota quas cernimus urbe, puellas
4 iudicio laudem discutiamque meo.
5 Risus Andrea placet, vultu gratissima Paula est :
6 utraque iudicio carmine digna meo.
7 Has tamen ingenio vincit Suriana decore,
8 huic geminam videas semper in ore rosam.
9 Sunt aliae, fateor, cultissima turba, puellae,
10 quas tibi nunc omnes longa referre mora est ;
11 has tamen ante alias tantum praestare putarim,
12 quantum Palladiae candida turtur avi.
13 Altera succrescens annis melioribus aetas
14 forte dabit formas in mea vota novas.
15 Crescite, formosae, dum stant mea fila, puellae,
16 sitis ut ad nostros vos quoque calcar equos.
17 Non ego multorum venio captator amorum,
18 ingenio satis est una puella meo.
19 Sed tamen hanc ipsam mediis e milibus unam
20 deligo, quo possit lecta placere diu.
21 Si quis amat durumque bovem tenerumque juvencum,
22 aptius e multo deliget illa grege ;
23 non tamen ut totis armenta vagantia campis
24 expetat ; ad multos respicit emptor equos.
25 Sic mihi dum tota circumferor anxius urbe,
26 quaeritur e magno sola puella grege.
27 Sic omnes percurro oculis atque expeto multas,
28 quarum iudicio quaelibet apta meo est.
29 Unius ante alias oculi, manus, ora, lacerti,
30 aptaque in incessu singula membra placent.

AD EUNDEM.

E1_16 v.1 Magna tua est in nos vanae petulantia linguae,
2 iudicium qui sic carpis, Igille, meum.
3 Fallor, an ipse mihi contrarius ire videris,
4 et petere optatis longe aliena tuis.
5 Quae mihi formosae videantur in urbe puellae,
6 et quae laudandae sint quoque parte, rogas.
7 Respondi : quae sit nobis sententia, dixi,
8 et verus iudex libera verba tuli.
9 Accusas, quoniam videor transisse Dianam,
10 in numeris illam nec potuisse meis,
11 quae, si vera loquor, quanto aere micantius aurum,
12 tanto formosis anteferenda fuit.
13 Immemor es votique tui primique rogatus,
14 nec tibi, quo juste crimine damner, erit.
15 Mortales non est inter numeranda puellas,
16 nostra puellarum est causa : Diana, dea est.

AD DIANAM.

E1_17 v.1 Cur quotiens vultus spectas blandissima nostros,
 2 illico et a nobis carmina mille petis ?
 3 Parce, precor, non sunt nobis tua fulmina tanti,
 4 ut cogam Aonias in tua vota deas.
 5 Pro tenui mercede labor subeundus amanti
 6 parvus, habent census grandia facta suos.
 7 Retia fluminibus latis spatiosa parantur,
 8 curvus at exigua vix latet hamus aqua.
 9 Simpliciter poteram magnas exponere laudes,
 10 exprimere et titulos per duo verba tuos :
 11 exsuperas omnes, dixisse, Diana, tibi que
 12 femina nulla par est, et dea nulla par est :
 13 cur digitis igitur metire volumina, nec te
 14 assiduusque labor fessaque cura manet ?

AD CANDIDAM.

E1_18 v.1 Non ego te mores jussi praestare Sabinos,
 2 nec te Spartanas fronte referre nurus.
 3 Comere nec vetui flavosque ornare capillos,
 4 sparge licet longas colla per alta comas.
 5 Non oculos defigite humi, cervice retorta,
 6 non torvam lentis passibus ire volo.
 7 Ista truces animos, et plus feritatis habentes
 8 tinctaque linenti pectora felle decent.
 9 Libera formosae factis dictisque puellae
 10 conveniunt ; levis est quae gravis esse volet.
 11 Turpiter aerae cursu levioze columbae
 12 incedunt, celeris quae volat, illa placet.
 13 Turpe coronatus tardis in navita ventis,
 14 inque gravi multo turpius itur equo :
 15 conveniet placidae mollis natura puellae,
 16 quae gravis est, metas praeterit illa datas.

AD SURIANAM

E1_19 v.1 Aspicerem cum te celsa, Suriana, fenestra
 2 cur tibi sic vultus erubuisse putem ?
 3 An quia fixit amor subito tua pectora ferro ?
 4 Sic utinam ut causa mota ferare mea !
 5 Tunc ego felicem, tunc me sine fine beatum
 6 crediderim, atque ipsum vincere posse Jovem.
 7 Vel quia purpureum senserunt corda pudorem ;
 8 si modo subsit amor non malus iste pudor.
 9 Saepe equidem memini, cum tu formosa choraeeas
 10 intrares, niveas erubuisse genas.
 11 Cumque aliae fictis variare coloribus ora
 12 invigilent, vero sola colore nites.
 13 Saepe puellarum studio falluntur amantes,
 14 cum venit in medium femina culta forum.

15 Exstruit alta caput, simul ora micantia fingit,
16 quodque suum non est, imputat illa sibi.

AD BRACCIUM.

E1_20 v.1 Quid petis imbelles armis resonantibus Umbros,
2 Bracci ? Nil tecum Nursia Martis habet.
3 Alpibus in mediis silva praecincta nivali
4 Nursia continuo stridet operta gelu.
5 Illa gelu riguit, totum te possidet ignis,
6 conveniet morbo mollior ora tuo.
7 Adde, quod a rudibus colitur locus ille puellis,
8 caelesti captus diceris ipse dea.
9 Qui redis ? Armatus media furit urbe Cupido,
10 acria sed nullo sanguine bella gerens.
11 Nec pudeat paribus secum concurrere in armis,
12 mollia praevalida prendere castra manu.
13 Armorum tu dux, dux est deus alter amorum,
14 sunt tituli vobis, sint animique pares.
15 Aurea sunt illi, cum sint tibi ferrea tela,
16 sanguine ne madeant ferrea tela, cave.
17 Ecce redis rutiloque latus praecingeris ense,
18 inseriturque humeris bellica parma tuis.
19 Jam conscendis equum, jamjam calcaribus urges,
20 tendit in adversum sectilis hasta deum.
21 Quid galeam quassas ? Nec te tege casside ; non est
22 supremum solitus ille ferire caput.
23 Nunc, cave, contraxit sinuosum fortiter arcum,
24 inque tuum flectit spicula certa jecur.
25 Hei mihi, percussit volucris tua corda sagitta
26 vinceris, et lapso protinus ense cadis.

AD DIANAM.

E1_21 v.1 Nescio, quid causae, cum sis tam pulchra, Diana,
2 semper, cur semper pulchra videre magis.
3 An novus innumera crescit decor auctus ab arte,
4 flavaque stillatis ora linuntur aquis ?
5 Sunt qui me credant mentiri, et carmina nostra,
6 more poetarum, nil nisi ficta loqui.
7 Certa loquor : quoties primo te lumine vidi
8 mane in compositis limine stare comis,
9 tunc cum surgebas incultis crinibus et cum
10 ornarat vultus nulla ministra tuos,
11 idem tunc vultus, eadem tunc ora manebant,
12 paucaque nocturni signa soporis erant.
13 Vera loquor : sic est o formosissima rerum,
14 o nata ad mundi sola puella decus,
15 forma tibi, qualis est, nulli reor esse dearum ;
16 parcite, non frustra vos ego damno, deae.
17 Non tibi difficilis quicquam natura negavit,
18 sed vires in te contulit illa suas.
19 Quid dignos pergam caelesti pectore mores
20 et dotes animi mille referre tui.

21 Sunt tibi purpureum comitantia verba pudorem,
22 canaque non ficto cernitur ore fides.
23 Simplicitas probitate sua contenta, decensque
24 munda, nec ex ulla parte notanda tibi est :
25 nunc mihi non frustra numero ponere dearum,
26 utpote materiae nata Diana meae.
27 Hoc, precor, ignoscas, si non mea carmina laudens
28 et plene et quantum tu mereare canant.
29 Quis pelagi numeret, ventis agitantibus undas,
30 quanta vel in toto substet arena mari ?
31 Quis Phoebi radios numeret ? Quis in ilice frondes ?
32 Sparsaque convexo sidera clara polo ?
33 Saepe meos sprevi numeros, et calle peracto
34 jam medio, nolui saepe referre pedem.
35 Jamque tuas laudes et nomina clara canebam ;
36 propositum vires exsuperabat onus.
37 Pes erat in cursu, placidum mea vela per aequor
38 a nullo fuerant impedienda Noto.
39 Venerat et studium, studioque accincta Thalia,
40 et secum numeros attulit illa suos.
41 Incipio primum sanctos intexere mores
42 atque animi dotes enumerare tui.
43 Facta sequuntur opus : quamquam tua numera longe
44 carminibus fuerant uberiora meis.
45 Ingenuusque pudor placidoque modestia vultu
46 exiguis claudi non potuere modis ;
47 copia major erat. Venit praesentia, qua tu
48 aethereas vincis, parce negare, deas.
49 Illa pedes numerosque meos contempsit ineptos,
50 nec tulit insulsi carminis arte cani.
51 Quis referat, qua tu circumspicis omnia fronte,
52 obtutuque facis saxea quaeque tuo ?
53 Si formam spectes, non quae sub vallibus Idae
54 Trojano vicit iudice, major erit.
55 Quid genus et mores ? Vehitur mea cymba per altum
56 et quo Peliacae vix licet ire rati.
57 Tu modo vela tuae pandas celeberrima laudi,
58 destitui cursus nec patiare meos.
59 Saepe etenim Graias cum vix bene ferre cohortes
60 posset, in armato constitit Hector equo.
61 Inde oculis spectans turritae moenia Trojae,
62 conjugis ad muros suscipit ora suae.
63 Anxia spectabat media inter proelia, si qua
64 posset bellantem parte videre virum.
65 Ut vidit atque ambos in eum defixit ocellos,
66 pungit equum ; Danaos mox fugat ille duces.
67 Ad dominae nutus surgunt in carmina vires,
68 et mirus blanda crescit ab arte favor.
69 Aspera si fuerint trucibusque simillima tauris,
70 copia vel largi defluit ingenii.
71 Qualis humor agris, et lentis umbra salictis,
72 ingenio vultus talis erit dominae.

LUDI EQUESTRES.

E1_22 v.1 Jam venit elato nutans a vertice currus,
 2 supremoque latens aliger axe Deus :
 3 stat simul innumeris comitata Diana puellis ;
 4 plumbea Diva : Deus aurea tela gerit.
 5 Nympharum cithara pars certat, et altera cantu,
 6 ingeminant avidae sinistra canora manus.
 7 Stant circum armatique viri comptaetque puellae,
 8 cum Deus e curru talia verba dedit :
 9 "Qui Paphiis venio telis armatus et alis,
 10 audite, et dictis turba favete meis.
 11 Suspiciate inde polos, quorum latet alter ad Austrum,
 12 alter agit Graias ex aquilone rates,
 13 sideraque in toto passim surgentia caelo,
 14 tangere finitimos quae meruere deos.
 15 Aeraque, et latas undis cingentia terras
 16 aequora ; sunt regnis ista minora meis.
 17 Ipse triumphator celsis in turribus egi
 18 turpiter implicitum sub mea juga Jovem.
 19 Et modo Sidoniae taurum per littora terrae
 20 induerat, niveus post modo factus olor ;
 21 in volucremque suam sese mutare coegi ;
 22 et qui nunc fuerat Jupiter ales erat.
 23 Cornua nunc Satyri, nunc virginis ora Dianae
 24 sumpserat ; et risi cornua sumpta Jovis.
 25 Quid referam, ut Danaen turrique seraque latentem
 26 aureus imperio luxerit ille meo ?
 27 Quidve Deos alios, quorum praecordia saeva
 28 per nostras toties incaluere faces ?
 29 Non ego Gradivo, non Matri ipsique peperci ;
 30 majus enim imperio nil habet illa meo
 31 saepe pater Nereus, fluctus moderator et undae,
 32 in media nostris ignibus arsit aqua.
 33 Dum fugeret, tepido nequiquam pectore flammas
 34 excutiens, medium mergitur in pelagus.
 35 "Ne fuge maternae dotes mihi in aequore, Nereu,
 36 quo fugis, in toto sunt mihi jura mari.
 37 Ipse licet Scyllamque trucem saevaque Charybdim,
 38 intima seu pelagi, seu vada falsa petas.
 39 Teque ego per Scyllam trucem saevamque Charybdim
 40 per vada, per scopulos stagna per alta sequar.
 41 Atqui si vellem cunctos ex ordine divos
 42 dicere, qui nostro colla dedere jugo,
 43 nox prius aethereum stellis fulgentibus orbem
 44 induet, et Stygias Phoebus adibit aquas.
 45 Undique regnamus tardus mea tela Bootes
 46 sentit, in Arctoa stet licet ille plaga.
 47 Hesperus Oceano quamquam vicinus et undis,
 48 saepe tamen flammis aestuat ille meis.
 49 Quaque oritur Titan, quaque humidus insonat Auster,
 50 extendunt vires brachia nostra suas.
 51 Quin orbem specta longe lateque patentem,
 52 ipse Deus toto maximus orbe color.
 53 Mille licet latebrae terris sint, aequore mille,
 54 ipseque perpetua luce carere puter,

55 nemo meas terris fugiet, nemo aequore flammis,
56 non quae habitant terras et nemora alta, ferae.
57 Saepe equidem fortes jubeo concurrere tauros,
58 frendereque attriti cuspide dentis apros.
59 Quaecumque in terris, quaecumque animalia caelo,
60 maxima cum parvis sub juga panda traho.
61 Exiguosque vides pulices grandesque elephantos
62 in nostras tacita concidere arte plagas.
63 Cuncta mihi parent, mecum mea castra sequuntur.
64 Militat auspiciis femina masque meis.
65 Ille ego sum, cupidos qui jungere solus amantes,
66 pectora qui solus dura movere queo :
67 ille ego, quem quisquis per amantia bella sequetur,
68 sentiet hic voti prospera vela sui.
69 Aspiciate, ut sedeant celebres utrimque puellae,
70 quot vix arboreas ventilat aura comas.
71 Haud aliter plenis Romam videre theatris,
72 cum doluit raptas orba Sabina nurus.
73 Si numerum quaeras, citius quot sidera, dicam,
74 quotque agat hiberno sidere pontus aves.
75 Spectandi studio celsas petiere fenestras,
76 anxia quaeque sui spectat amantis opus :
77 quaeque suum tacite secumque hortatur amantem,
78 et nutu, quamvis stet procul, illa favet.
79 Victori cedit totiens optata puella,
80 ille sui tandem compos amoris erit.
81 Haec ego polliceor, Numen, cui cessat amorum,
82 nec possunt Superi fallere, si cupiant :
83 maternas etiam volucres Stygiasque paludes
84 testor, quas magno spernere turpe Jovi.
85 Vos pariter spectare hostes, spectare puellas,
86 haec hodie tanti praemia Martis erunt.
87 Qui cadet aut forti victus spoliabitur hoste,
88 excidet a domina non minus iste sua.
89 Spem modo tam firmam, et longi suspiria voti
90 una, quod est damno turpius, hora feret.
91 At qui pulsarit timidusque fugaverit hostem,
92 sive suo saltem coget abire loco,
93 victor erit nostra capiens sua praemia dextra,
94 facta manu dominae florea sarta geret.
95 Ite alacres ad belle viri ; nunc proelia vobis
96 fortiter armata sunt adeunda manu.
97 Confertas acies inimicaque signa petatis,
98 inque hostes acri dissiliatis equo.
99 Eminus hic hastas impellite, cominus enses,
100 jamque dabunt turpi terga pudenda fugae.
101 Ite igitur, nec me quisquam modo munere tentet ;
102 arbitrium belli Mars ferus hujus habet.
103 Illud succurrat, nomen, famamque decusque,
104 et dominam vobis praemia certa fore.
105 Haec ubi dicta, ruunt vocemque ad sidera tollunt ;
106 hinc sese in partes disposuere duas.
107 Altera ad Australem pars constitit, altera ad Arctum,
108 huc illuc celeres utraque flectit equos.
109 Mox ubi diduxere alas signumque dedere,
110 accendunt animos classica pulsa feros.

111 Tunc vero stimulis fortique incumbitur hastae,
112 alterna impulsi parte feruntur equi.
113 Haud aliter vacuo certantes aere venti
114 erumpunt, atra nube premente diem.
115 Nunc fessi cedunt, sumptis modo viribus urgent,
116 hinc volucrem rapidi corripuere viam.
117 Arboreosque ferunt truncos et robora quassant,
118 Jupiter emisso fulgure grande tonat.
119 Fit sonitus, faciunt silvae montesque fragorem,
120 occulit et densae frondis acervus humum.
121 Intendunt hastas, duris Mars saevit in armis,
122 alter ab alterius concidit ictus equo.
123 Dejectas hastas fragmentaque mille videres,
124 pulvereosque globos, astraque pulsa sono.
125 Dumque simul feriunt fortes, dum sustinet ictus
126 miles ait : "Dominae pugna videnda meae."
127 Tum vero simul arma quatit, simul ille fenestram
128 suspicit, unde animo fortius addit amor.
129 Corpora sternuntur passim, ferit aurea clamor
130 sidera, plebeio cuncta favore sonant.
131 Hic ruit, ille ferit, duros hic recipit ictus,
132 alter equo lapsus turpiter excutitur.
133 Vidi ego dejecta transversa molliter hasta
134 dedecore affectum tunc voluisse mori.
135 Surgentes alios, alios in Marte cadentes
136 luminibus turpes opposuisse manus.
137 Quid pudet, et notos tegis, ignavissime vultus,
138 cum dominam nequeant facta latere tuam ?
139 Et specula tua te vidit formosa cadentem ;
140 et dixit : "Bone vir, maesta puella, vale."
141 Scilicet haec fuerat magni victoria belli,
142 partaque jactanti clara topphaea manu.
143 Scilicet hos titulos praeclaraque signa reportas,
144 haec promissa domum victor opima refers.
145 Brachia vidi alium lento vibrare bacillo,
146 et "Belli, dixit, nunc ego victor ero."
147 Risit et ex animo visa est gaudere puella,
148 et tacito secum pectore laeta favet.
149 Oceani tandem cum Sol properaret ad undas,
150 nocteque cessaret subveniente dies,
151 tum vero miscere acies, turbare catervas,
152 et nullo sese ferre per arma metu :
153 pectora pectoribus, telis concurrere tela,
154 effrenes simul concutiuntur equi.
155 Aspiceres illic effractas vulnere sellas
156 vinclaque pulvereo rupta jacere solo.
157 Qualiter Alpinus Boreas Austerque tumentes
158 quaque procelloso turbine versat aquas :
159 concurrunt aestus, atque unda subvenit undae,
160 frangitur in spumas, imbre furente salum :
161 littoribus crescunt aestus, volvuntur arenae,
162 et rauco strident murmura saeva mari.
163 Sic ubi praecipites sese invasere catervae,
164 nunc cedunt, ac mox fortius ense premunt :
165 lora cadunt, clipeique atque arma jacentia passim,
166 vixque tegens primas Gallica sella nates.

167 Interea Nymphae plauduntque canuntque per axem,
 168 cum Deus e summo vertice tela jacit.
 169 Hinc circumspectans nunc hunc hunc percutit illum ;
 170 et qui non pugnat, pectore vulnus habet.
 171 Per medias Dux ipse acies argenteus ibat
 172 Braccius, ardenti conspiciendus equo ;
 173 sceptrum gerens impellit equos, hortatur amantes,
 174 ut gladio faciant exsuperante gradum.
 175 Quocumque adveniat, mediis occurrat in armis,
 176 proelia sunt viso fervidiora Duce.
 177 Dum tamen incautus spissis sese implicat armis,
 178 e summo veniunt culmine tela Dei.
 179 Certa dedit, medioque sedet fera spicula corde,
 180 qui modo Dux fuerat, nunc habet ille Ducem,
 181 saucius exclamans : "At me cur, inquit, inermem ? "
 182 et voluit celeri carpere tela manu.
 183 Et vulnus siccare suum plagamque fovere,
 184 sed nec quod posset cernere, vulnus erat.
 185 Terque manum tacto deduxit pectore, terque
 186 parte manus nulla sanguinolenta fuit.
 187 Nec Deus alta ferit duro praecordia ferro,
 188 accensa tantum vulnerat ille face,
 189 occultasque petit penetrata per ossa medullas,
 190 nec placet offensae signa manere cutis.

AD SEIPSUM DE DIANA DISCESSU.

E1_23 v.1 Quid, Campane, facis ? Quid, stulte, moraris in urbe ?
 2 En tua, si nescis, rura Diana petit.
 3 Aspice, ut aversi radiantia lumina solis
 4 protinus hic oculos destituere tuos,
 5 aspice, ut in totam nox atra supervenit urbem,
 6 et nulli fuerint, ut solet, urbe joci.
 7 Jam tenet, i demens, agrestia rura Diana,
 8 montibus accurrunt rustica turba Dei.
 9 Pan deus Arcadiae sumpta descendit avena,
 10 et stupet, et montes despicit ipse suos.
 11 Stant Fauni Satyrique simul, stat falce Priapus
 12 erecta, nec se continuisse potest.
 13 Aspiceres avida longum tentigine rumpi
 14 Hellespontiaci villia membra dei.
 15 Naiades et Dryades, fluvio sylvaque relictis,
 16 conveniunt celeri per loca senta gradu.
 17 Est locus umbrosa late praecinctus ab ulmo,
 18 deserto mira consitus arte loco.
 19 Huic tenui circum labuntur murmure rivi,
 20 et niveus primo fonte lapillus obit.
 21 Numen habet ; visae per candida flumina Nymphae
 22 huc solitae niveos ire lavare pedes.
 23 Tityrus ad patulas pecus omne coegerat ulmos,
 24 blandaque lanigeras aura fovebat oves.
 25 Huc venit, hic nobis, quae viderat omnia, dixit,
 26 umbra dabat somnos et dabat herba torum.
 27 Sic Paris horrenti sopitus creditur Ida
 28 sylvanas inter concubuisse Deas.

29 Sic quoque nunc pastor, nunc luminis auctor Apollo
 30 dormiit adjuncta lata per arva bove.
 31 Ecce venit passis Nympharum turba capillis
 32 et levis intonsas dispulit aura comas.
 33 Hic quia solus erat, densa se occuluit umbra,
 34 offendi ne quo praetereunte queat.
 35 Pallia deponunt virides abjecta per herbas,
 36 aurea populeus cingula ramus habet.
 37 Mox ubi nudatis altum patuere lacertis,
 38 candida perspicua crura lavantur aqua.
 39 Quid tibi cycneam plumam, glaciemque Rhipaeam,
 40 quid referam Alpinam Caucasiamque nivem ?
 41 Lacteolosque pedes et eburnea crura videbat,
 42 qualia vix animo conspicit ipse suo.
 43 Dum placidas repetunt cursu et clamoribus undas,
 44 dumosa occultus lumina tendit humo.
 45 Illae ubi laverunt, virides errare per herbas,
 46 et celeri incipiunt prata ferire pede.
 47 Prosiliuntque, canuntque simul, gyroque feruntur,
 48 et gemina feriunt sinistra canora manu.
 49 Ecce Diana venit, paucis comitata puellis,
 50 praestare hanc Nymphis rettulit ille mihi.
 51 Flora caput summum flava praecincta corona
 52 floribus exornat lata per arva comas.
 53 Colligit haec violas, centum comitata Napaeis,
 54 purpureas tenero colligit ungue rosas.
 55 Nec cedunt comites, aliae flavosque hyacinthos,
 56 narcissos aliae liliaque alba legunt.
 57 Est quae flaventes cytisos summumque papaver,
 58 quaeque petat mixtis alba ligustra thymis.
 59 At dea collectos longum disponit in orbem
 60 et struit albenti florea sarta manu.
 61 Nais humum foliis et odoro spargit acantho,
 62 alloquitur cum sic candida Flora Deas :
 63 "Rura mihi cedunt, teneros mihi Numina flores
 64 pro rapta Zephyrus virginitate dedit.
 65 Ipsa Venus Venerisque puer victricia signa
 66 e nostra gaudet saepe referre manu.
 67 Cum Jove sanguinei bellum gessere Gigantes,
 68 in magnos ausi sumere tela Deos.
 69 Vidi ego congestos erumpi fulmine montes,
 70 victorique dedi florida sarta Jovi.
 71 Nec tamen arma probo ; nimium feritatis in armis.
 72 Ingenii non sunt aspera bella mei.
 73 Sed lususque jocique placent, junctaeque choraee
 74 cantus, et haud rigido mensa referta mero.
 75 His ego praesideo, sunt haec certamina nostra ;
 76 praemia de nobis, qui bene saltat, habet.
 77 Ite leves Fauni, tenerae simul ite Napaeae ;
 78 tu quoque seu Veneris filia sive Venus.
 79 At Pan villosa praecinctus nebride versu
 80 personet, Arcadicis conveniente modis.
 81 Ille sonat, saltantque deae, junguntque coronam,
 82 et fieri victor jam sibi quisque putat.
 83 Illic aspiceres, posita graviore Dianam
 84 veste, pedum varios ingeminare gradus.

85 Nunc lenta gradiens pensat vestigia planta,
 86 nunc celeri tangit sudera celsa pede :
 87 per mediosque volans, nunc hos nunc percutit illos,
 88 laetaque praecipitem ducit in arva chorum.
 89 Quoque magis placeat varios excogitat orbes,
 90 dextraque mox fiet quae modo laeva fuit.
 91 Haud aliter Scythico veniens Aquilone procella
 92 pulveream celeri turbine versat humum.
 93 Turba deum defessa sedet, victamque feretur ;
 94 at Dea purpureas spargit in ora rosas,
 95 sartaque victricis posuit cervicae Dianae
 96 et dixit : "Vincis hac quoque parte deas.
 97 Ergo mirari tenerae nollite puellae :
 98 quae vos nunc vincit, vicerat ante deas."
 99 Haec mihi qui dixit, nulla mentitus ab arte,
 100 creditur ingenua non caruisse fide.
 101 Ergo ego rura petam ; civilia facta, valete,
 102 haec loca sunt votis longe aliena meis.

DE SURIANA.

E1_24 v.1 Qualis ab Aurora surgens crinitus Apollo
 2 purpureis orbem lustrat et ambit equis :
 3 talis in adventu nostros Suriana penates
 4 sidereo complet lumine, fertque diem.
 5 Illa potest vultu rigidos placare leones,
 6 tigridas aspectu flectere, voce, deas ;
 7 nec cecinit melius, quem curvus in aequore Delphin
 8 non formidatis per mare vixit aquis.

AD JUSTINUM.

E1_25 v.1 Qui nostris, Justine, tuos praeponis amores,
 2 nunc ego te totum desipuisse puto.
 3 Sunt oculi testes nobis, quin ergo puellae
 4 testibus his causam iudiciumque facis.
 5 Tu procul hanc raro nec eodem lumine spectas,
 6 ipse prope ac semper anxius intueor,
 7 ante oculos igitur sumas tu crimine nostros,
 8 aut pravi subeas iudicis officium.

LIBER SECUNDUS

AD LECTOREM.

E2_1 v.1 Exiguum torva spectas qui fronte libellum,
 2 perlege ; ne dubita, nil ego turpe cano.
 3 Non hic invenies regumque ducumque tumultus,

4 bella nec armigeri sanguilonenta Dei.
 5 Belides hinc absunt infandaque crimina Thebes,
 6 quaeque neci dederat Lemnia turba viros,
 7 vulturiusque rapax semperque volubile saxum,
 8 quique sitit mediis pomaque captat aquis.
 9 Taurica nec Scythiae miscebis sacra Dianae,
 10 Hellespontiaca merse Leander aqua.
 11 Tale nihil canimus ; dictat Venus aurea nobis
 12 edita per blandos verba jocosa pedes.
 13 Est, quae praeterea fulvo mihi carior auro
 14 carmina sub certa currere lege velit.
 15 Sive ego magnorum describere proelia regum
 16 sive velim nitidas Bellerophontis aquas,
 17 irruit et gladio veluti furialis acuto,
 18 proeliaque et nitidas improba delet aquas.
 19 Scribimus imperio dominae : pretioque libellum
 20 vendidimus, versus emit amica meos.
 21 Scilicet haec quotiens niveo stant brachia collo,
 22 in pretio tolli carmina bina petit :
 23 si mihi distincti turbantur ab ordine crines,
 24 aut manus effusas tangat inepta comas,
 25 multa datur gravior, numeratque irata capillos,
 26 et totidem magnum carmina poscit opus.
 27 Forsitan interdum volucris damus oscula linguae,
 28 postulat hinc elegos garrula lingua decem.
 29 Sin Venus accedat, spatiosa volumina currunt,
 30 unde nihil vacui tota papyrus habet.
 31 Nec mihi sponte licet geniales condere versus,
 32 illa mihi calamum dirigit, illa manum.
 33 Venerat ad saevos nuper mea Musa Gigantes,
 34 ausos in magnum sumere tela Jovem.
 35 Dum memini, quatit ossa tremor, persensit amica,
 36 inque oculos fuso corrui illa meos :
 37 et tandem mecum solida lasciva tabella
 38 hoc pepigit ; tantum mollia facta canam.
 39 En cano. Da velum nostrae, Cytherea, carinae,
 40 ut mea tranquillis cymba vehatur aquis.
 41 Tu, lege, non plagas, non arma cruenta videbis ;
 42 vulnera si qua leges, vulnera amoris erunt.

AD SE IPSUM.

E2_2 v.1 Cur ego divitibus Tyrioque nitentibus ostro
 2 invideam, aut si qui Martia bella gerunt ?
 3 Si mihi non ebore et vitreis laquearibus aedes,
 4 nec gypso, aut saetis expoliuntur apri,
 5 armaque nec pendent trabibus galeaeque minaces,
 6 nec celeres fuerim pungere doctus equos.
 7 Puppibus immensum numquam sulcavimus aequor,
 8 prospicimus tumidos nulla per astra notos.
 9 Est quae conspicuam gemmis et marmore Tusco,
 10 auratamque facit, cum subit illa, domum ;
 11 fronte duo nivea quibus est percincta pyropim
 12 lucentes faciunt nocte dieque lares.
 13 Unde fit, ut nostra vincatur luce Britanni,

14 terraque, cui numquam sidera celsa cadunt.
 15 I modo, Aventinos celebra, mea Musa, quirites
 16 aut duri saevas Herculis historias.
 17 Quid mihi si adversus Mauros navalia Caesar
 18 bella gerat ? Parthos si subigatque duces ?
 19 Quid mihi, Aragonium si viderit Umbria regem
 20 et Siculus Tuscas miles habebit opes ?
 21 Nil mihi cum ducibus ; pereant horrentia bella,
 22 sive illa in terris, sive gerantur aquis.
 23 Forte cruentatos, ut erat violentus, Achilles
 24 Iliacos Trojam sanguine vertit equos ;
 25 muniit ense latus Vulcaniaque induit arma,
 26 illa quibus Phrygia destitit Hector ope.
 27 Dicitur, ut vidit saevos Priameia currus,
 28 luminibus timidas opposuisse manus.
 29 Aeacidae malle frontem cinxisse corona,
 30 argutamque manu substituisse lyram.
 31 Exuit arma tamen, duraque a casside laesas
 32 composuit molli sub statione comas.
 33 Ipse armatus eras et fulmine opertus et igni,
 34 Jupiter, exstincta cum gemeres Semele.
 35 Quid nisi sit clades et vulnera saeva per arma ?
 36 Humani non est pectoris ille furor.
 37 Unguibus armatum celeres odere columbae
 38 accipitrem, armatum dentibus agna lupum.
 39 Ergo ego rejectis ad amorem transferor armis,
 40 munera militiae sunt potiora meae.
 41 Divitias etiam fulgentiaque aera relinquo,
 42 una mihi immensas cum dare possit opes.
 43 Ergo militibus cedant equus, arma, sagittae,
 44 immensaeque aliis accumulentur opes :
 45 regibus ingentes urbes, magnisque triumpho
 46 Caesaribus, forti bellica signa Duci.
 47 Navita tranquillum tentet mare, rusticus ampla
 48 jugera, palantes per juga pastor oves.
 49 At mea gestet amor cum molli bella puella,
 50 illa mihi Pyrrhus, illaque Maurus erit.
 51 Jurgia sunt nobis duro pro Marte canenda,
 52 tiro puella mihi, sit mihi Caesar amor,
 53 vexillumque Venus, lectus, tentoria, versus
 54 postremus pedes est strenuus alter eques,
 55 oscula conflictus, et murmura blanda sagittae,
 56 lingua procax ensis, bucina carmen erit.

AD LAURENTIUM

E2_3 v.1 Laurenti, quae sint nobis incendia, nosti,
 2 ecce puella tuos est aditura lares.
 3 Nunc tua nobilitas timido succurat amanti,
 4 et votis faveas, officiose, meis.
 5 Novi ego quid possit praestare fidelis amicus,
 6 arcani fretus commoditate loci,
 7 et poteris miscere preces, atque intima tecum
 8 ad me furtiva ducere tecta manu.
 9 Forsitan ad celsae tendet fastigia turris,

10 quam pia Chaonio murmure mulcet avis.
 11 Hanc tu praeveniens ad parva cubilia transfer,
 12 hic ubi stat domini bibliotheca mei.
 13 Interea verbis tacitum persolve pudorem
 14 et dicas hic est qui tuus esse cupit.
 15 Haec ubi praestiteris, tacito concede recessu,
 16 nec nisi ubi mecum coeperit illa loqui.
 17 Exiguus cupidi tectis remanebimus ambo ;
 18 tu magni nobis muneris auctor eris.

AD SE IPSUM

E2_4 v.1 Non ego posco deos aurum gemmasque nitentes,
 2 non mihi hyacinthi sardonysesque placent.
 3 Nec mea surgentis mens ambitiosa theatri
 4 postulat elato stare superba gradu.
 5 Non quoque magnorum palatia grandia regum
 6 quaero, nec in niveis ire timendus equis.
 7 Non valles, non arva graves reddentia acervos,
 8 non oleam, aut colles, pulcher Iacche, tuos.
 9 Nec votis petitur cumulata pecunia nostris,
 10 quaeque vehunt nimias aurea vasa dapes.
 11 Non gemmata togae duplici discrimina limbo,
 12 Gallorum quales expoliere manus.
 13 Ergo quid ? Exiguum est ; possum meruisse videri.
 14 Cui modicum satis est, hic ope dignus erit.
 15 Respiciunt unam tantum mea vota puellam ;
 16 nec tamen hanc mecum semper habere velim.
 17 Falsa loquor ; vellem semper, sed non peto semper :
 18 quisquis magna petit, jure repulsus abit.
 19 Non est hoc caelum conscendere, non maris undas
 20 colligere exiguae cortice velle nucis.
 21 Quod cupimus, multi potuere ; miserrimus ille est
 22 qui, quod habent omnes, solus habere nequit.
 23 Cum tot ego passim video simul urbe vagantes,
 24 cogito, ubi et quicum nocte silente jacent,
 25 cumque suas habeant omnis prope turba puellas,
 26 cur mihi cum domina non licet esse mea ?

IN INVIDIAM IMPRECATIO.

E2_5 v.1 Invida lingua, meo quae sic illudis amori,
 2 ecce puella tua garrulitate gemit.
 3 Quid precer infelix, nisi te fera poena sequatur ?
 4 Ut merita es, duro forcipe secta cadas !
 5 Sit tibi, quae fuerat pereuntibus esca, cicuta,
 6 mixtaque liventi felle aconita bibas !
 7 Nec tu credatur, factum fictumve loquenti,
 8 quicquid ais, nugas quilibet esse putet.
 9 Nemo te arcanis admittat, nemo loquendis ;
 10 nec te scire loqui, nec tacuisse putent.
 11 Sive quid urbe mali, quae seu discordia fiat,
 12 murmuribus tribuant dissidiosa tuis,
 13 et serere occultas odii credere favillas,

14 et nullos umquam conciliare queas.
15 Quisquis eras ausus castam temerare puellam,
16 et dare non tacito verba pudenda foro,
17 ut mihi turbasti dominae plorantis ocellos,
18 sic vita videas nil tibi dulce tua.
19 Tam miser intereas, ut me tua fata movere,
20 et lacrimas possint elicere illa meas.
21 Vitali interea frueris dum perfidus aura,
22 contingant votis cuncta sinistra tuis.
23 Quicquid agas, quocumque velis contendere, semper
24 funestum laeva bubo sub aure canat ?
25 Teque putes atra coetum spectare cruentum
26 Eumenidum, et Stygios cernere nocte canes !
27 Lugentes voces horrendaque carmina promas,
28 quale ferunt Siculis daemona ire jugis.
29 Atque ubi confectos macies laxaverit artus,
30 ultima sit voto tardior hora tuo.
31 Mille viae mortis, sed quae crudelior una est,
32 exstinctus pereas, ut Palinurus, aquis.
33 Aequora nec melius dentur tranare Leandro,
34 aut quibus a Phrygio milite rapta soror.
35 Esca tibi pullo madidum squalore venenum,
36 ut quod Olympiadis ungula gessit equi.
37 Atque ita nocturno potiare, miserrime, somno,
38 ut qui Trojanis praefuit excubiis.
39 Qui si forte velis peregrinas visere terras,
40 abrupta fias Amphiaras humo,
41 contingatque tibi nec caupo fidelior illo,
42 qui comitem Megarae prodidit Arcadicum,
43 sicque tuum caeno corpus plaustroque tegatur,
44 afferat et tardam sic tibi somnus opem.
45 Si pluatur, hoc pereas, periit quoque Tullius, igni,
46 multaque sub bibulo Caesare vina bibas.
47 Quos male tam flectis nostrae insidiosus amicae,
48 saxa petant oculos pulverulenta tuos.
49 Vimine pupillae vel ferro adigantur acuto,
50 Tiresia nec plus iudice tu videas.
51 Naribus aut melius geminis utare recisis,
52 quam si quis patriae prodidit urbis opes.
53 Nec tibi contingant felicius omnia linguae,
54 quam quae trajiciens polluit ense manus.
55 Ut Terei quondam, sic est tua dira libido,
56 excipiat natos exitus ille tuos.
57 Cervicemque secent, et prodiga colla secures,
58 Phyllis ut admoto sic pereas laqueo.
59 Vel tua sic duro cervix intercidat ense,
60 ut Danao Phrygium concidit ense caput.
61 Caelestesque tibi transfigant pectora flammae,
62 ut cui polluta est virgo, Minerva, tua,
63 milleque tortores cruciatibus impia vellant
64 brachia, commeritae post modo danda cruci.
65 Viscera vulturibus lanientur, et ilia corvis,
66 pabula sint rapidis pulmo jecurque lupis.
67 Quaeque pudor tacuit, cultro resecentur acuto,
68 carnificis inter commemorata manus,
69 cruraque corripiat toto cum poplite ferrum,

70 per gladios surae, tibia, talus eant.
 71 Omnia ne memorem, vita tardente recessum,
 72 corporis intereant singula membra tui.
 73 Haec ego ter dico, summa ter conspuo lingua,
 74 et ter resperso pulvere conticeo.
 75 At si qua exciderint, eadem me finge precari :
 76 quicquid enim verbis excidit, ipse precor.
 77 Haec tibi pro laesa redduntur dona puella :
 78 ut gemit illa hodie perpetuo ipse gemas !

DE DISCESSU SUO.

E2_6 v.1 Urbs olim pergrata meis juvenilibus annis,
 2 dulcis et ante alias terra benigna, vale !
 3 Sis felix, valeantque viri, valeantque puellae,
 4 et quaecumque oculis nota fuere meis !
 5 Salvaque belligeri tibi sint praesagia Martis !
 6 Campani superent quaelibet arma viri !
 7 Vulturusque tuus placida circumfluat unda,
 8 praeteriens leni moenia longa sono !
 9 Tot juga, tot circum labentia flumina montes,
 10 junctaque Tyrreno littus et arva mari,
 11 Ausoniumque decus patriique, valete, Penates,
 12 dulcis et ante alias terra benigna, vale !
 13 Aurea pomosae valeant arbusta Suessae !
 14 Curribus illa meis area prima fuit,
 15 et Liris et Gaurus et litora Minturnarum,
 16 raptaque ab Herculeo nympha Morica viro ;
 17 omnia cum cupiam, montes et plana, valere,
 18 Gallutii in primis moenia parva mei !
 19 Sunt illic, modicae quae me genuere, Cavellae,
 20 parva, sed ingenio cognita rura meo.
 21 Invideant, quicumque velint, et rustica ludant
 22 nomina, dat mixtas sylva rosis violas ;
 23 quaslibet agricolae foveant per consita plantas,
 24 crescit deserta grandius arbor humo.
 25 Cum primum aspexi patrias a litore sedes,
 26 dulce mihi mentem, nescio quid, tetigit.
 27 Subsiliunt animi , ferimurque libentius ultro,
 28 et celeres properant ad sua tecta pedes.
 29 Nunc etiam genialis amor patriique Penates,
 30 dulciter occulta condicione trahunt.

GRATULATIO DE RISU ET OBVIA PUELLAE.

E2_7 v.1 O faustum roseumque diem, solidumque triumphum !
 2 Occurrens media risit amica via.
 3 Hunc mihi natalem statui celebresque calendas,
 4 quales, Jane, tuas, sive, Quirine, tuas.
 5 Surge age, Calliope, carmen meditare canorum,
 6 Aoniamque feri pulcher Apollo lyram.
 7 Nunc longas tibi pecte comas, nunc exere vultus ;
 8 nam domina in clara luce videnda mihi est.
 9 Risit, et ex animo risit, dixitque salutem :

10 non ego nunc ipso vel Jove major ero ?
 11 Nunc ego mortali videor spoliatus ab aura,
 12 inter et aeternos maximus esse deos.
 13 Rumpere fallaces obliquaque sidera Parcae
 14 jam nequeunt fusi stamina dura mei.
 15 Cum mihi subrisit, multum permittere visa est ;
 16 fallor an est mollis spes mihi facta tori.
 17 Ignis, amor, tussis certo sese indice produnt,
 18 nec tu, si cupias, dissimulare potes.

DE PULCHRITUDINE DIANAE.

E2_8 v.1 Arma Jovi refero. Parta est formosa puella,
 2 sive puella mea est, sive sit illa dea.
 3 Saepe ego depictae vidi simulacra Minervae,
 4 qualia Phidiacae perpoliere manus.
 5 Saepe tuos etiam pictos, Saturnia, vultus,
 6 quales vel Lybia, vel coluere Samo.
 7 At nihil ad nostram veniunt simulacra Dianam,
 8 artificii quamquam sculpta fuere manu.
 9 Sidera quam tenebras vincunt, quam sidera Phoebus,
 10 quamque paludigenas aequora magna lacus ;
 11 tantum quas olim clari cecinere poetae,
 12 ingenio vincit parta puella meo.
 13 Ite procul, divi, caelos habitare serenos :
 14 seu quis arundineo flumine numen habes.
 15 Sic decet, ut possim praeda gaudere peracta ;
 16 aur ite, aut oculos vellite quisque suos.
 17 Non satis agna lupos inter segura voraces
 18 creditur, uncatae non bene passer avi.
 19 Jupiter audacis metuens incendia currus,
 20 corripuit natum fulmine, Phoebe, tuum.
 21 Nunc mare, nunc terras, nunc sidera celsa prementes,
 22 aera per medium currere jussit equos.
 23 Protinus Arcadia fixit vestigia terra ;
 24 nam fuit haec magno semper amata Jovi.
 25 Viderat Inachias lustrare Phoronida ripas :
 26 crure tenus niveos laverat ipsa pedes ;
 27 purpureasque genas et eburnea colla videbat,
 28 lentaque dimissas sparserat aura comas.
 29 Viderat hanc Faunus prima sub rupe vagantem,
 30 vimque paraturus, ni metuisset, erat.
 31 Pan quoque Maenalias voluit subducere in umbras,
 32 sed metuit cursus , Inache magne, tuos.
 33 "Jupiter, aut oculis careas, Saturnia, dixit,
 34 aut si non careas, jurgia ferre leve est."
 35 Dum vocat illa suum, dum tentat harundine patrem,
 36 et ciet albenti lubrica stagna pede,
 37 protinus inducta jussam consistere nube,
 38 traxit in amplexus et tenet ille suos.
 39 A Jove deceptae quoties flevere puellae ?
 40 O ego quam multos suspicor esse Joves ?
 41 Quamquam ego nec timeo, nec sola videbitur usquam ;
 42 sedulus hans terris, hanc comitabor aquis.

AD SE IPSUM

E2_9 v.1 Ergo ego quid faciam ? Sylvisque vagabor opacis,
 2 et referam praedam per nemora alta meam ?
 3 Sylva parum tuta est ; habitant sua numina sylvas,
 4 saepeque per saltus ludere, Faune, soles.
 5 Aequoreas forsantuti sulcabitur undas ?
 6 Sed ferus heu quoties Dorida coepit amor ?
 7 Neptunum Veneris (nec laedunt aequora flammas)
 8 ignibus alcyones incaluisse ferunt.
 9 Tum quoties Ithacus mediis incanduit undis ?
 10 Et Venus insano creditur orta mari.
 11 Aurea glandiferas utinam modo saecula quercus,
 12 montanasque darent ossea corna dapes !
 13 Tunc vir securus nullos in conjuge moechos,
 14 rivalem nullus tunc metuebat amans.
 15 Fulva nec ingenuas flectebant aera puellas ;
 16 femina tum magnas despiciebat opes.
 17 Copia cuique auri, nemorum sub frondibus omnes
 18 carpebant avida pendula poma manu.
 19 Nulla peregrinas mirata est femina puppes,
 20 tutaque tunc abies, tutaque pinus erat.
 21 Cinnama odoriferis nemo referebat ab Indis,
 22 nec bibit Aonium succina lana crocum.
 23 Idem tunc victus cunctis eademque supellex,
 24 et torus, et vestis, hospitiumque fuit.
 25 Quae nunc labentes emittunt flumina lymphas,
 26 dulcia stipatis mella tulere favis.
 27 Cuncta ferebantur sub aperto animalia caelo ;
 28 aut nullae, aut tantum lustra fuere domus.
 29 Nec nive candebant montes, nec frigida siccas
 30 arboribus frondes excutiebat hiems.
 31 Ipsa etiam fruges tellus inculta ferebat,
 32 nec seges in sulcos compulit ire boves.
 33 Cerva - quis hoc credat ? - rabido conjuncta leoni,
 34 laesa Lycaonio nec fuit agna lupo.
 35 Rusticus illaesos spectans super illice nidos,
 36 implumes numquam subripuisset aves.
 37 Plurimus in tenui ludebat gurgite piscis,
 38 nec tortos hami senserat ille dolos.
 39 Urbibus aerae nec erant munimina turres,
 40 nec fossa, aut longa machina structa trabe.
 41 Non tuba militibus signum, non ferrea vestis,
 42 pungebat celeres nec grave calcar equos.
 43 Unaque praeterea facies cultusque deorum,
 44 nec coluit varios ille, vel ille deos.
 45 Agnaque pacandas numquam cecidisset ad aras,
 46 sed fuerant humili victima facta deo.
 47 Idem erat imperium cunctis ; non regibus urbes,
 48 parva nec a dominis oppida pressa suis.
 49 Nunc furor incubuit ; rerum vesana cupido
 50 praecipites agitat saeva per arma viros.
 51 Tunc mea compositis passim lascivia rebus,
 52 nec terra invidiam, nec timuisset aqua.
 53 Quaecumque in silva, quaecumque jacentibus herba

54 haesisset gremio tuta puella meo.

DE DISCESSU AMASIAE

E2_10 v.1 Quid sibi nutantes poscunt ante ostia currus ?
 2 Anne parat quoquam nostra puella viam ?
 3 Heu mihi ! Carpentum famulisque torisque refertum
 4 conspicor et pressos languida colla boves.
 5 Et video hirsuto nigrum perone bubulcum ;
 6 signa peregrinae suspicor ista viae.
 7 Rustice, vix domitos refer ad praeseptia tauros,
 8 ne premat insuetus dimaceretque labor.
 9 Nuper enim, ut video, junctis ad aratra juvencis,
 10 non satis hoc aptum, non leve pondus erit.
 11 Aspice, ut inverso detractet pondera collo,
 12 alter, et immensum sustinet alter onus.
 13 Mense fere toto nequeant tibi condere sulcos,
 14 saucia nec duro subdere colla jugo.
 15 Adde, quod haec longas abitura est sarcina terras,
 16 utque ferant pondus, non patientur iter.
 17 Et salebrosa via est, non his adeunda cothurnis,
 18 diripient soleas aspera saxa tuas.
 19 Quodque magis timeas, cecidere crepidine montes,
 20 discutient celeres obvia saxa rotas.
 21 Aspice ut exiguo flectat sua plaustra Bootes ;
 22 limite non longas praecipit ille vias.
 23 Jupiter, ut fuerat mutatus imagine tauri,
 24 litore Sidonio destitit esse bovem.
 25 Parcere, ut admoneat, voluit deus ille juvenco,
 26 ostendens, longum non fore bobus iter.
 27 Hoc equus, hoc praestent sulcantes aequora naves,
 28 immensas illis convenit ire vias.
 29 Ferreus huic pes est, aerataque rostra carinae,
 30 tale nihil, quo se bos tueatur habet.
 31 Rustice, quo properas ? Medio sol arduus orbe est ;
 32 defer anhelantes in sua tecta boves.
 33 Non fontes, non rivus in hac, sed tristis arena,
 34 saxaque tam longa pulverulenta via.
 35 Arva nec invenies, sterilisque et inhospita tellus,
 36 arboreis etiam frondibus illa caret.
 37 Vana loquor ; properat, nec jam rationibus ullis
 38 vincitur. O flectant rustica corda preces !
 39 Villice, siste boves, referetur gratia ; nostrae,
 40 hoc, tu si nescis, axe vehuntur opes.
 41 Sic tibi salva domus, sic sit tibi fertilis annus,
 42 et noceant tegeti fulmina nulla tuae !
 43 Alma Ceres laeto semper tibi floreat agro,
 44 et pingui crescat fertilis herba solo !
 45 Non Pliades Hyadesque graves, non imber aristas,
 46 depopulet segetes nulla procella tuas !
 47 Non lupus errantem nemoroso colle juvencum
 48 mordeat, aut junctos lurida musca boves !
 49 Nulla precor ; frustra sum orantia verba locutus ;
 50 non capiunt humiles rustica corda preces.
 51 Omine perge malo ! Salva modo perge puella ;

52 tu saxo, aut alta praecipiteris humo !
 53 Cancer ubi messis longam producit aristam,
 54 grandine permixtas ejaculetur aquas !
 55 Semina grus, herbamque pecus, segetemque procella
 56 obruat, et segetem flamma odiosa cremet !
 57 Fulminibusque cadant quercus, cadat ulmus et ilex,
 58 et viridi nequeas pascere fronde bovem !
 59 Hic quoque ponte cadat, furiali percitus oestro,
 60 diripiantque canes terqus, et exta lupi !

AD SE IPSUM.

E2_11 v.1 Quid faciam ? Maneamne domi ? Reditumque puellae
 2 exspectem ? An lento subsequar ipse gradu ?
 3 Hoc placet : en longas (nam sic amor improbus urget)
 4 sole sub ardenti carpere pergo vias.
 5 Saepe meum volui, quo nil vicinius, agrum
 6 inque suburbanum sic pedes ire meum.
 7 Lassa fatigatis tumuerunt crura lacertis,
 8 pes quoque tam parvum ferre negabat iter.
 9 Nunc longum patimur ventoso pulvere callem,
 10 quoque magis ferimur, hoc magis ire juvat.
 11 Non iter atque ardens medio sol aere terret,
 12 alta nec incessus tardat arena meos ;
 13 nec noceas carae, Paeon intonse, puellae,
 14 sic radiis noceant nubila nulla tuis.
 15 sunt etiam, qui te visa per rura Cyrenae
 16 atque aliis multis incaluisse ferunt.
 17 Id mihi nunc prosit ; neque enim post ipse negare,
 18 pavisse indomitas lata per arva boves.
 19 Acrius expertos aliena incommoda tangunt,
 20 et miseris credit, qui fuit ipse miser.

AD SE IPSUM

E2_12 v.1 Quo propero, demens, aditu offensurus amicam ?
 2 Exoptata odium gratia stulta parit.
 3 Forsitan occulte tantum cupit illa jocari,
 4 et secum lusus tectius ire meos.
 5 Novi ego, quam petulans, quam sit mea prona libido,
 6 nec possum audaces abstinuisse manus.
 7 Nullum et in amplexus moderamen, in oscula nullum,
 8 nostraque sunt blando verba referta joco.
 9 Si prope discumbat, rimas inquirimus omnes,
 10 admittant si qua pallia fixa manum.
 11 Sin sedeo contra, mensaque arcemur ab illa,
 12 invenient aditum crura sub alta pedes.
 13 O quoties digitos cyathum praebente puella,
 14 stringimus, et palmas subfricuisse juvat.
 15 Sin manet illa procul, tenui suspiro susurro,
 16 et faciunt avidas lumina maesta notas.
 17 Advertent comites, celandaque furta patebunt,
 18 et fiet populi fabula noster amor.

AD SE IPSUM

E2_13 v.1 Aut ego mentis inops, nec habent mea lumina visum,
 2 aut non qualis heri Delius urget equos.
 3 Compita, fana, lares, laquearia, moenia, turrets,
 4 nescio quo nunc sunt pallidiora modo.
 5 Mox ubi sublimi volui trabe ponere lumen,
 6 luce quasi exstincta languida lampas erat.
 7 Ambustos purgo lychnos, renovatur olivum,
 8 candida sed lychni lumina ferre negant.
 9 Et patet, et nullum recipit mea janua solem,
 10 et patet, et nullum lata fenestra diem.
 11 Nimirum procul est aliamque illuminat oram
 12 sol meus, in tenebris, hic miser ipse vagor.
 13 Ah pereat, quisquis peregrinas quaerere terras
 14 repperit, et primum curribus egit iter.
 15 Ille mihi infensas nimis ingeniosus ad artes
 16 utilius potuit non habuisse pedes.
 17 Me miserum ! Nullos capiunt mea lumina somnos,
 18 jam longa didici pervigilare mora.
 19 In latus evolvor, stratis pulvinus oberrat,
 20 et nulla possum parte jacere tori.
 21 Saepe pulex, altae res insidiosa quieti,
 22 creditus est humeros sollicitasse meos.
 23 Strata revolvebam, rugas intentus ad omnes,
 24 heu mihi ! Nam mordax non erat ille pulex.
 25 Unus heri comitum media stetit obvisus urbe,
 26 cum peterem dominae tecta relicta meae.
 27 Et : "Quid, ait, morbi ? Tristis cur pallor in ore est ?
 28 Incolumis fueras et bene sanus heri."
 29 Mutat amor formam miserosque intercipit artus,
 30 extenuans cura membra sepulta gravi.

AD PICTORES.

E2_14 v.1 Pingere qui volucres alas in amore solebant,
 2 maximus hic nostris affuit error avis.
 3 Mille cupidineos caelata est ala colores,
 4 ponebant et equos nullaque frena deo.
 5 Luminibus captum puerum et ratione carentem,
 6 telaque et ambigua trajicienda manu.
 7 Curribus auratis arcum pharetraque gerebat,
 8 vectus et a niveis flammeus ibat equis.
 9 Otia, blanditiae, plausus et dona Lyaei ;
 10 quaque sequebantur fida caterva deum.
 11 Sic prius in curvis pictum videre theatris,
 12 purpureas etiam dant habuisse genas.
 13 Magnus picturae et veterum fuit error avorum ;
 14 hic, puto, Phidiacas desipuisse manus.
 15 In me saevus amor nil quicquam tale peregit ;
 16 plus video, quam dum non fuit Argus avis.
 17 Sic ubi seu voces blandas, sive oscula junxi
 18 aut ubi in amplexus venit amica meos.
 19 Haec loca sunt oculis semper praesentia ; quamvis

20 stet procul, absentem lumina nostra vident.
21 Me color unus habet, nec frena tenacia lassant,
22 nec deus e nobis, nec sua penna volat.
23 Contudit is primum spumantibus ora lupatis,
24 curvari flexum jussit ab inde caput.
25 Inque meos humeros calcaria nulla timentes
26 prosilit atque alacer pectore sedit eques.
27 Pungimur in celeres acti, ceu turbine gyros,
28 praecipiti jussi currere saepe via.
29 Nec sum mentis inops, nec si ratione carerem,
30 implesset laqueos tam bona praeda meos.
31 Cautus amor, prudens atque arte valentior omni,
32 callidior rerum nemo magister erit.
33 Otia, nota loquor, nullum comitantur amorem ;
34 vivere qui nolit desidiosus, amet.
35 Non magis insanum tunc cum furit aestibus aequor,
36 altum praecipites exagitantur aquae ;
37 nec magis hiberna quam grandine percutit Auster
38 populum, excelsas fertque procella comas ;
39 nulla quies animo est, rapiturque per omnia rerum
40 crimina, suspectum se putat ipse sibi.
41 Nunc tibi rivalem fingit, laenamque petulcam,
42 multaque tum blanda munera missa prece.
43 Nunc dominam forma captam meliore veretur,
44 neve suam saliat, pulchrior hircus ovem.
45 Invisus tota, quisquis formosus, in urbe est,
46 sed cui praecipue pectinis usus erit.
47 Sunt et Germanas mentiti in amore sagittas,
48 aurea cum fatear, plumbea tela nego.
49 Cetera deceptos (nec enim ratione moventur)
50 censeo, in vapidas jure dedere faces.
51 Ignibus ille deus natisque ad viscera flammis
52 uritur, imperium est urere quemque tuum.
53 Hoc quoque quo dubitem, multi mea sensa refellunt,
54 dicunt, hunc flammas non habuisse deum,
55 esseque pro facibus gelidam voluere pruina,
56 unde fit, ut medio saepe Leone cremant.
57 Quid referam, quae sit propior sententia vero :
58 arva pruina coquit, arvaque flamma coquit ?
59 Quaeque mihi gelido saepe exarsere Decembri
60 pectora, Ledaeano sidera saepe tremunt.
61 Qui roseas finxere genas atque ora, protervum est ;
62 dedecet aegrotum nam calor ille deum.
63 Pallor inest vultu, macies et squalor amantum,
64 non potes a morbo deteriore premi.
65 Quare age, lascivum quisquis picturus amorem es,
66 aurea tela oculos, duraque frena dato.
67 Otia ne tribuas, vincat, pallore caminum :
68 implumem facias nec sine mente deum.
69 Dexteram sive ignes, ardentem laeva pruina,
70 sive gerat glaciem dextera ; laeva faces.
71 Da comites lacrimans, altum sine fine dolorem,
72 mixtaque cum raro gaudia rara joco.

IN OBITUM CAR. PANDONI.

E2_15 v.1 Lubrica fatorum series, quid stamina torques,
 2 sic immatura dilaceranda colo ?
 3 Nondum lustra meus septem compleverat heros,
 4 abstulit hunc avida mors violenta manu.
 5 Heu mihi non potius carum occubuisse parentem
 6 germanos etiam non potuisse mori.
 7 Occidit at rerum quae spes erat una bonarum,
 8 perdita sunt uno pignora multa viro.
 9 Quem neque pugnaces enses, aut classica bello,
 10 nec ferus armato terruit hostis equo.
 11 Plurima saepe cohors uni certamine pressa
 12 terga fugae in medio turpia Marte dedit.
 13 Pressisset fortes luctanti pectore tauros,
 14 et cursu celeres praeteriisset equos.
 15 Vidi ego freudentem cum fortiter obvius aprum
 16 sterneret, utque agili est cerva retenta manu.
 17 Quid placidos vultus atque ora nitentia dicam ?
 18 Huic nulla in toto corpore menda fuit.
 19 Quit tibi Pierias referam ? Quid Apollinis artes ?
 20 Nemo erat in magna doctior Hesperia.
 21 Noverat, unde canum Zephyrus modo concitet aequor,
 22 et modo tranquillae evehat unda rates.
 23 Quid segetes pariat, cur palmite gaudeat Euans,
 24 cur inculta thymis herbida terra viret ;
 25 et quot habent motus, et quot labentia caelo
 26 sidera, cur brevis est, quae modo longa dies ;
 27 sidera (me miserum) certam servantia legem,
 28 sed nimis in fatiis heu cita facta suis !
 29 Noverat et gemini praecelsa cacumina montis,
 30 Castalios fontes, Pieridumque domos ;
 31 et querulos elegos, maestumque in fine cothurnum,
 32 et pede quae soleant liberiore cani ;
 33 magnorum monumenta Ducum, celebresque triumphos
 34 Caesaris, et victi Punica bella Ducis.
 35 Omnibus his aequumque animum moresque benignos
 36 addidit, et summa cum pietate fidem.
 37 Hujus erat lingua populum sedare tumentem,
 38 utque favere bonis, sic domuisse malos :
 39 iratum mulcere patrem, veniamque precari,
 40 pro quovis humiles ferre nocente preces.
 41 O quoties dapibusque suis vinoque popellum
 42 pavit, et ad multos addidit ille togam.
 43 Sed quid ego laudes tenui percurrere versu
 44 aggredior ? Parva non mare crescit aqua.
 45 Nec magis humano Phoebus lucescit ab igni,
 46 sed potius nostras occupat ille faces.
 47 Quoque magis subeunt animum, magis illa remordent,
 48 crescit et ad laudes altaeque gesta dolor.
 49 Heu miserum, cur me suavissime deseris heros ?
 50 Ad Stygia cur nigros tam cito flectis equos ?
 51 Heu deserta domus, deserta miserrima conjunx,
 52 germanique duo : jam seniorque parens !
 53 Scipio, parve puer, nec dum puer, orbe Camille,
 54 experti duros pignora cara deos.

55 Quattuor alter adhuc, septem vix alter ad annos
56 crescitis, et parvi sollicitatis avum,
57 heu, Pater, extrema tanto maerore senecta
58 stringeris, et crescunt cura dolorque senis.
59 Invida nunc primos fata injecere dolores ;
60 hactenus in vita nil fuit acre tua.
61 Divitiis natisque potens, dicione Venafri,
62 paruit imperio Samia terra tuo.
63 Cum modo Aragonio per tot fera proelia regi
64 affueris, canam praestiterisque fidem,
65 inter tot procerumque dolos regnique tumultus
66 adversos numquam passus es ipse deos.
67 Sed nova tempestas felicibus obvia gestis
68 assueto vetuit currere vela Noto.
69 Abstulit haec natumque patri, natoque parentem,
70 aerumna affecit teque tuosque gravi.
71 Cum fueras valida natorum aetate juvandus,
72 praesidium senii concidit ille tui.
73 Fortunata parens, finem sortita priorem,
74 cui licuit tristes anticipare rogos.
75 Non lacrimas dedit illa suas, non pectora planxit,
76 nec secuit madidas ungue furente genas,
77 morte quidem felix, cui si modo vita fuisset,
78 vidisset nati tristia fata sui.
79 Crudelesque deos et sidera dira vocasset,
80 et sese in gelidam praecipitasset humum.
81 Quod faciunt maestusque parens miserandaque conjunx,
82 et faciunt nati pignora parva duo.
83 Quattuor adspiceret circum pia funera natas
84 ad fratrem sparsis exululare comis ;
85 quaeque, ut in ejectos pergat saevire capillos,
86 nec parcit teneris illa vel illa genis.
87 Innumeros etiam circum lugere clientes,
88 utque fit, hic vestem scissus, at ille comam ;
89 hic rigido secatur ungue genas stidensque pererrat,
90 pulsatur humo caput hic, percutitur ille manus.
91 O miseros tanta fraudatos arce clientes,
92 quorum ego, excepto nemine, primus eram.
93 Plangite deceptos fatibus crudelibus annos ;
94 heu nova vix viso flore juvenia cadit !
95 Plangite praeruptas viridi sub gramine fruges,
96 exstincta media plangite nocte facem.
97 Deserimur sine luce omnes, atraque vagamur
98 nube, nec aspiciamus turba relicta ducem.
99 Ut cum sidereum subita caligine caelum
100 abditur, obscurum nocte premente diem,
101 saepe pater gelidum Phoebus pervenit ad axem,
102 saepe iterum australi constitit ille polo.
103 Communes nobisque dies noctesque fuere,
104 usque suis tectis, usque fovebar ope.
105 At nunc in tenues spes haec evanuit auras,
106 nec, quo se tutum mens mea vertat, habet.
107 Phoebe, vale, medicas frustra jam persequor artes ;
108 ecce tua primus nunc ego fallor ope.
109 Scilicet illa meos pestis consumpserit artus,
110 et mea crudeli sunt data membra neci.

111 Heu quibus extinctos cineres et funeris ignes,
 112 te quibus heu lacrimis, umbra benigna, sequor ?
 113 Forsitan Elysios nunc tu spatiaris ad agros,
 114 imperjuratos trans rate vecta lacus.
 115 Ipse tamen longum crucior, gemitusque madentes
 116 irrigat assiduo non minor imbre genas ;
 117 qualiter in sicca viduus gemit arbore turtur,
 118 inficiens tristi lucida stagna pede ;
 119 qualis et in Phrygia miseris latratibus Ida
 120 deflevit natos mater et orba virum.
 121 Sed mihi quid lacrimae defletaque nomina prosunt ?
 122 Non patitur reduces Aeacus ipse vias.
 123 Ferrea palentes nec janua liberat umbras ;
 124 circuit anfractus Styx lutulenta novem.
 125 Tot mea carceribus mitis praecluditur umbra,
 126 caelicolum sacro dignior umbra choro.
 127 Verum ego quid nigrum verbis exaspero Ditem ?
 128 O utinam lacrimas cerneret ille meas !
 129 Ferreus utcumque est, et se truculentior ipso,
 130 flecteret ille animos ad mea verba feros.
 131 Cur magis extincta potuit pro conjuge vates
 132 impia Threicia corda movere lyra ?
 133 Cur mihi, Gracche, tuum monitis fatalibus anguem
 134 non datur interitu pernecuisse meo ?
 135 Illa ego Taenarium cur non demersus ad amnem,
 136 illa ego non potui cur obiisse die ?
 137 O fluxas rerum vices, aevique volatus !
 138 O deceptorum vota caduca virum !
 139 En mea tranquillos tunc cum bene duceret annos,
 140 concidit a nullo spes relevanda deo.
 141 Obruta nostra semel non emersura carina est,
 142 sospite qua tutis ante vehebar aquis.
 143 Nunc feror in sano, Zephyris agitantibus undas
 144 et sine remigibus et sine puppe, freto.
 145 Invitus jam nunc vitali perfruor aura :
 146 quicquid erit vitae, nil nisi luctus erit.
 147 Quo precor, o faciles atque in mea vota secundae,
 148 ultima fatales rumpite fila, Deae ;
 149 ut, quoniam placidos vultus corpusque nequivi
 150 cernere, et extremis maestus adesse rogis,
 151 nec lacrimis potui morientem cernere abortis,
 152 et rigido tristes ungue notare genas ;
 153 defunctos saltem ad manes animamque benignam,
 154 quo nequeo vivens, mortuus ire queam.
 155 Sed mini nec Parcae faciles, nec fata secunda
 156 vivo, nec optata morte perire datur.
 157 Me miserum adversos referunt praesagia casus ;
 158 multa mihi tanti signa fuere mali.
 159 Concinit horrendus carmen miserabile bubo,
 160 ante meam stridens, nocte silente, domum.
 161 Nunc clausas visus circum volitare fenestras
 162 interdum tecti culmine stare mei.
 163 Concussis passas alis Eumenides atro
 164 murmure per nostros auguror ipse lares.
 165 Tunc quoque convexo pendentia sidera caelo
 166 et cadere, et nitidum perdere visa jubar.

167 Lunaque fraternis nusquam stetit obvia flammis ;
168 pallui ; heu nostri quot fera signa mali.
169 Nec procul a tectis ingentibus atria moto
170 senserunt lata contremuisse solo ;
171 vicina auditi lugere crepidine manes,
172 et querulo tristes ore movere sonos.
173 Visae sponte sua subito patuisse fenestrae,
174 et mugire alte, nocte silente, boves.
175 Intrare attonitus stabulisque erumpere totis
176 inter balantes pullus equinus oves ;
177 seque per ejectas nunc volvere tristis arenas,
178 nunc juga praecipiti currere in alta pede.
179 Somnia praeterea, tristes referentia luctus,
180 irruerant atris horrida imaginibus.
181 Mane pedem efferre meo cum limine vellem,
182 praecipites nequeo sustinuisse gradus.
183 Omen adest dixi, superis hinc rite vocatis,
184 placandos humili censeo ture deos.
185 Ecce sacris nondum perfectis occupat aures
186 rumor : herum gelidae subcubuisse neci.
187 Attoniti riguere animi, stupuere lacerti,
188 ossaque deseruit, qui fuit ante calor.
189 Taurus ut admittit duram cervice bipennem,
190 incautusque ictu concidit ille gravi.
191 Sic ego confectus, cum nil mihi tale timerem,
192 nec recipit medicam tam grave vulnus opem.
193 Dum jaceo resupinus humi, moribunda recenti
194 nescio quis comitum tempora fovit aqua.
195 Ingratas, quae me tum fata extrema petentem
196 invitum superis restituere manus !
197 Ingratas etiam tristi revocamine lymphas,
198 quae mihi fatales impediere vias !
199 Tunc potui periisse mihi, sentina priusquam
200 altius in nostros iret acerba lares.
201 Nunc miser insuetum capio vix mente dolorem,
202 exsuperat vires tanta ruina meas.
203 Sed quia fatalem, Parcis inhibentibus, horam
204 vivimus, (o quanto gratior urna foret !)
205 Sed quia nec precibus, nec mors ingrata querelis
206 accelerat, tardas quin premit illa moras,
207 interea tantis vita retinente procellis,
208 quod superest, nostras sentiat ille preces.
209 Ite, preces humiles, et menstrua tura, facesque,
210 efficite, ut faciles sentiat umbra deos.
211 Ite ignes, et farra, sacrum libamen ad aras,
212 et date funereas ad pia templa dapes.
213 Accedant lacrimaeque meae, concussaue palma,
214 stridor et utraque pectora planta manu.
215 Nec pudeat rigidos manibus laniare capillos,
216 sit coma non quamvis sic lanianda viris,
217 et pulli de more habitus lugubria pepla,
218 et circum tumulos atra cupressus eat.
219 Carmina marmoreo longum mansura sepulchro,
220 nec rapiat titulos, ultima flamma, suos :
221 "Nomina cui placidae factis aequata dederunt,
222 et formam, et mores, ingenium, Charites,

223 conditus est tumulo Carolus Pandonus in isto,
224 insignis rebus, sanguine, militia."

DE SYLVIAE PATRIA.

E2_16 v.1 Jam tenet aequoras suavissima litora Baias
2 Sylvia, Lucrinos, Strigoniosque lacus.
3 Jam puto vicini Thermis aegrotat Averni,
4 candida sulfurea membra lavantur aqua.
5 Phoebe, salutiferos nunc experiare liquores,
6 nunc depone lyram nec tibi pecte comas.
7 Nil opus estque lyra, succis herbisque vacandum,
8 heu propera, medicam, Delphice, confer opem.
9 Aspice ut infirmo pendant mea stamina filo,
10 ne pereat facti causa puella mei.
11 Sic tibi Castalio plaudentes monte sorores
12 imponant capiti laurea sarta tuo.
13 Litoreae nobis plangunt sua pectora nymphae,
14 Sylvia maturum ne cadat ante diem.
15 Publica vota Jovi faciunt, humilesque precantur,
16 ne mors insontes opprimat una duos.
17 Opprimet una duos, sedemque petemus eandem
18 utraque, sive Erebum, seu petet illa Polum.
19 Hoc quoque marmorea carmen sculpetur in urna,
20 haec nostri longum testis amoris erit :
21 "Qui Parium tumuli saxum mirare, parumper
22 si placet, o lector, obsecro, fige pedem.
23 Sylvia, formosas inter referenda puellas,
24 hic jaceo, caro contumulata viro.
25 Campanus jacet hic mecum, cui carminis artem,
26 et facile ingenium materiamque dabam.
27 Vita duos olim tenuit concorditer una ;
28 una quoque extinctos occulit urna duos.

AD SE IPSUM.

E2_17 v.1 Aut insanus eram, tunc cum tua labra momordi,
2 aut, quod credibile est, immoderatus amans.
3 Illa tument, factisque mei testantia culpam,
4 quod nunc de nobis rite querantur, habent.
5 Ah nimium petulans, nimiumque effrena libido ;
6 en lacrimat morsu laesa puella meo.
7 Parce, precor, lacrimis, mea Sylvia, siqua doloris
8 causa fuit, vehemens, heu, amor ille fuit.

AD SE IPSUM.

E2_18 v.1 Mirabar manes animo superosque volutans,
2 mortales fieri qualibet arte deos.
3 Qui modo pastor erat Latiae sub montibus Albae,
4 obtinuit magno proxima regna Jovi.
5 Et dea Niliacas inter celeberrima matres,
6 atque puella Isis, atque juvenca fuit.

7 Nil opus exemplis, et ego mea numina sensi,
 8 ingenio favit cum Suriana meo.
 9 Tunc ego caelestes potui moriturus honores
 10 celsaque cum magno sceptrum tenere Jove.
 11 Sed neque de superis mutata forte putabam,
 12 ad miserum quemquam posse redire virum.
 13 Deceptus fateor, vanoque potitus honore,
 14 factus homo e tanto sum miser ipse deo.

DE FULMINE SURIANAЕ.

E2_19 v.1 Ecce cadunt piceo terrentia fulgura caelo ;
 2 fulminat in nostrum saeva puella caput.
 3 Quid furis, o Suriana ? deos hic dedecet usus,
 4 bella decent homines, mitia facta deos.
 5 Turpiter heu, nimium pulchra cadit ira puella,
 6 sed tamen in pulchra turpior illa dea est.
 7 Aspice ut in cunctis animalibus ira decorem
 8 auferat, horrendos adjiciatque modos.
 9 Cornua nunc tumidi jactant in aera tauri,
 10 pulvuream alterno nunc pede pulsat humum.
 11 Attritis fremunt irati dentibus apri,
 12 inque canes hastas, et sua fata ruunt.
 13 Nec varios pariunt ira atque insania motus,
 14 et nisi quae brevis est turpior ira foret.
 15 Sit brevis illa, precor, non duros saevis in hostes ;
 16 in segetem flammam conjicis ipse tuam.
 17 Non ego furtivae posco mihi tempora noctis ;
 18 si faveas oculis, hoc satis esse potes.
 19 Purpureum cupiant alii violare pudorem ;
 20 servata nobis integritate places.
 21 Exiguum petimus ; vultus mihi redde priores,
 22 neve domi toties in mea damna late.

DE REGE ARAGONUM.

E2_20 v.1 Rex sacer Etruriam siquis victricibus armis
 2 movit, Aragonios vix capit illa Duces.
 3 Pulchraque in adversos Florentia trajicit hostes,
 4 paucaque Tyrrhenas arma tuentur opes.
 5 Mirabar, cur non possent his bella nocere,
 6 nec Sículus Tuscas vincere miles opes.
 7 Et quis Aragoniis in proelia restitit armis ?
 8 Alphonsi Hesperiam vicit utramque furor.
 9 Urbem Parthenopem bello et munita subegit
 10 oppida, vel terra, vel subigenda mari.
 11 Cum tamen Etruscis Siculi fera bella moverent,
 12 Etruscis Siculae non nocuere manus.
 13 Esse quid hoc credam, nisi numina sacra deorum
 14 pro regnis moveant arma timenda suis ?
 15 Arne, per has terras pura qui laberis unda,
 16 et Florentina dirigis urbe caput.
 17 Dic, age, quid causae est, quae numina, curave divum
 18 arceat infestas hac regione manus ?

19 Non hanc praecipites munita per oppida fossae,
 20 sublimi non hanc rupe tuentur aquae.
 21 Parva nec aerae pertexunt moenia turre ;
 22 vix tenui muro semirecincta patent.
 23 Extulit ille caput, barbamque, comamque madentem
 24 excutiens, placido rettulit ista sono.
 25 Rite deos adhibes, nec te sententia fallit ;
 26 pertinet ad magnos haec sua terra deos.
 27 Arva vides humiles paulum tolentia colles,
 28 utque sit hic olei fertilis, ille meri,
 29 hinc juga praeruptis altum surgentia silvis,
 30 ardua sed variis pascua plena feris.
 31 Prata etiam in viridi, laetas in gramine glebas,
 32 pomaque Paestanis candidiora rosis.
 33 Praeterea tenui labentes murmure rivos
 34 assuetos nostra perdere nomen aqua.
 35 Crescentemque meum variis et fontibus amnem,
 36 quod deus a cunctis Tusca per arva color.
 37 Hinc Florentinam ne me contemne, per urbem
 38 labor, et a cursu scinditur ille meo.
 39 Haec te cum lateant, meme comitare videbis
 40 omnia ; ne dubita, me duce, carpe viam.
 41 Aspicias urbis latae surgentia tecta.
 42 Quaeque suos deceant aurea templa deos.
 43 Divitis aspicias aurata palatia Cosmi
 44 intus, at horrenti marmore structa foris.

LIBER TERTIUS.

AD PIUM II PONT. MAX.

E3_1 v.1 Ad te, dive pater, nostrum decus ire jubemur ;
 2 et terrae ante tuos oscula ferre pedes.
 3 Nec rubor in vultu est, nec nos metus ille moratur,
 4 insolitis rerum qui solet esse viris.
 5 Pierides tua turba sumus, tua vota Camenae,
 6 nemo tibi nobis notior esse potest.
 7 Est aliquid tecum semper vigilasse tot annos,
 8 et lateri vinctos accubuisse tuo.
 9 Jure igitur qui nos sua misit ad atria, nullum
 10 monstrandum nobis esse putavit iter.
 11 Scit bene quam pateat sacris haec janua Misis,
 12 et timeat sanctas nulla repulsa fores.
 13 Utque Pio referas largas in nomine dotes,
 14 nec titulis cedat tam pia vita tuis.
 15 Et genus et proavi monumentaque clara parentum,
 16 mirum est, huic quantam polliceantur opem.
 17 Largus erat Caesar, quia sanguine cretus Iuli :
 18 nil durum in pulchra nobilitate cadit.
 19 Non tamen ille tuos est ausus adire penates,

20 et premere audaci tecta superba pede.
21 Scilicet et veritus celsae fastigia sedis :
22 et tanti insuetus lumina ferre loci.
23 Ut cum purpureum mortalia lumina solem
24 suspiciunt, nimio victa nitore cadunt.
25 Arte tam vivunt homines ; cui gratia parva est
26 externam quaerit conciliantis opem.
27 Sic qui terrena spectat de valle tonantem,
28 illum cum nequeat, te, Pater alloquitur.
29 Nos igitur quoniam nulla est non gratia tecum,
30 pro vate ad vatem nuntia turba sumus.
31 Ne vatis ride nomen, tirunculus arma
32 dum sequitur, certi militis instar habet.
33 Idem te montes, idem fovere liquores ;
34 quamquam tam plenas non bibit alter aquas.
35 In te Parnassi totas effundimus undas,
36 et parere omnes jussimus orbis opes ;
37 nil in laude tua potuit fortuna, nec ipse,
38 quicquid habes, nostri muneris esse negas.
39 Si pater es, natos amplectere , si Pius omnes ;
40 vatibus imprimis alte poeta, fave.
41 Militibus duris duri dent praemia reges :
42 sint tua Pieriae praemia militiae.
43 Aspera victrici qui gessit proelia dextra,
44 Caesaris accipiet laureaserta manu.
45 At qui Maeonio flectit modulamina cantu,
46 qui valuitque lyra, qui valuitque toga,
47 hunc tua praecingat merita manus alma corona,
48 Castaliam exornet tam pia dextra comam.
49 Arma nihil tecum : belli furor omnis adesto,
50 ni quod pro sancta religione paras :
51 hoc quo conficies animo studioque sagaci ?
52 O quantum est animi vincere consilio !
53 Nuper ut Assisium nullo tibi Marte subactum est,
54 magna, sed ingenio gloria digna tuo.
55 Nos igitur tua castra sumus, tua proelia Musae,
56 si quem nos tegimus, hic tibi miles erit.
57 Cernis ut e toto, quisquis valet artibus, orbe,
58 in tua diverso cardine signa venit.
59 Oceani extremo veniunt ex orbe Britannii
60 nec metuunt longas tam procul ire vias.
61 Aethiopesque nigri veniunt, Cilicesque fugaces,
62 ingeniisque petunt praemia digna suis.
63 Quaque oritur Phoebus, quaque occidit, undique docti
64 ad te per terras, per maria alta fluunt.
65 Tu si deficias, nec erit sua gloria Musis,
66 neglectaeque omni destituemur ope.
67 Aspice ut illustret totum sol arduus orbem,
68 utque tegant omnem sidera celsa plagam.
69 Hoc tibi praestandum est : vice fungeris ipse deorum ;
70 jura tibi mundi tradita cuncta vides.
71 Quaeque latent oculos, et quae potes ipse videre,
72 accedunt curae pondera cuncta tuae.
73 Ergo in tam magno coetu numeroque tuorum
74 aspicias vatis nomina parva tui.
75 Quoque magis novus est, erit et magis ille fovendus,

76 ut tener infirma debilitate puer.
 77 Sic soliti agricolae vires munire tenellas,
 78 tuta suo grandis robore planta viret.
 79 Addeque plantae hae quae raris nascuntur in hortis,
 80 et pereunt pingui, ni foveantur, humo.
 81 Hoc, Pie, da nobis si te bene fronde decora
 82 cinximus, et capiti sunt dataserta tuo.
 83 Si tibi Castalios latices sacrumque Helicon
 84 pandimus, alternam praebuimusque lyram,
 85 ut posses strictus, posses cantare solutus,
 86 et natas docte vincere Calliopes.
 87 Redde vicem sacrosque iuua, Pater alme, poetas :
 88 qui dare multa potest, hunc dare multa licet.
 89 Non tibi tu natus soli ; posuere videndum
 90 excelso quodam te tua fata loco.
 91 Ut late possis hominum genus inde tueri,
 92 proque suis meritis praemia cuique dare.
 93 Utque homines possint palmam spectare paratam
 94 urgeat et celeres fertile calcar equos.
 95 Quid tot opes uni Superos cessisse putemus,
 96 grandiaque arbitrio subdita regna tuo ?
 97 Esse tibi potuere satis vel parvula tecta :
 98 parvus et assiduis influus hortus aquis.
 99 Nil temere egerunt Superi ; ratione moventur :
 100 iudicii est illis causa probata tui.
 101 Ut quoniam scires, etiam dare munera posses,
 102 sic te hominum generi praepositum esse putes.
 103 Hoc te per sceptrumque tuum soliumque rogamus,
 104 perque tuos altae nobilitatis avos.
 105 Sic pater Aeneae imperium clavisque potentes
 106 Sylvius, et natum sentiat esse Pium.
 107 Sic tibi felici, quicquid meditabere, cursu
 108 pergat, et inceptum perficiatur iter :
 109 sicque ferus Turcus falsas rescindere leges
 110 et veri cupiat Principis arma sequi !
 111 Barbara, quam lata est, quantosque extenditur orbe
 112 imperio accedat Teucra tota tuo !
 113 Denique quanta potest concedere munera caelum,
 114 tot tibi dent larga fata benigna manu !

AD PIUM II PONT. MAX.

E3_2 v.1 Ite, meae Musae (nam vos sera nulla moratur)
 2 ad Dominum ; centum robora me impediunt,
 3 atque ubi mille tuis suscepit oscula terris,
 4 poplite sic nudo dicite Pontifici :
 5 Alme pater, sanctas cum nuper adivimus aedes,
 6 pollicitus nobis, scis bene, quid fueras.
 7 Ecce tuus vates, magna spes plenus, avaro
 8 paulatim totus carpitur hospitio.
 9 Cumque aditum ad sacros pedes soliumque verendum
 10 postulat, oclusis pellitur a foribus.
 11 Dive pater, quid aget pauper timidusque poeta,
 12 si tu non sancto colligis in gremio ?
 13 Stant promissa, tuae quae sunt oracula vocis,

14 et nequeunt Superi fallere, si cupiant.
 15 Ad nomen regnumque tuum spes vatibus ingens
 16 orta, sed hic primum, Principe te, exoritur.
 17 Cumque alii vates non una palatia norint,
 18 hic primis ad te confugit auspiciis.
 19 Gravior est nobis, quam nos plantavimus arbor,
 20 cuique domo primos jecimus et lapides,
 21 ergo parva tuis crescit quae plantula in hortis,
 22 haec nunc poma suum destinat ad dominum ;
 23 non matura quidem, sed plurima pertulit ante,
 24 quae non digna tuis credita sunt calathis.
 25 Haec quoque acerba, sed est mittendi tanta voluntas,
 26 ne primos fructus advena corripiat.
 27 Accipe, Dive Pater, quod nunc nova pertulit aetas ;
 28 non erit haec umquam, si foveas, sterilis.
 29 Haec ubi dicta, meae Musae, decedite tecto ;
 30 ante sed haec illi munera porrigite.
 31 Quod si forte Pii titulos et nomina quaeret,
 32 dicite, stare suis legibus historiam.
 33 Cur etiam intorto veniant haec carmina lapsu ?
 34 Non it equus rectis, qui macer est pedibus.

AD LAURENTIUM JUSTINUM TRIFERNATEM.

E3_3 v.1 Laurenti Justine, cani non parva Tiferni
 2 gloria, deliciis insidiate meis.
 3 Horrida quid tantum me nunc hortaris ad arma,
 4 grande per altisonos arma canenda pedes ?
 5 Parce, precor, ne me furialibus insere bellis ;
 6 ad numeros spirat mollior aura meos.
 7 Bella truces animos violentaque pectora poscunt,
 8 et rigidos mores, ingeniumque grave.
 9 Me lepus, effosso latitansque caniculus antro
 10 plus animi et passus cornua cervus habet.
 11 Quique metu in varios mutatur mille colores,
 12 fitque per aspectus altera forma novos.
 13 At ne jussa tui videar contemnere voti,
 14 obsequar, et regum cognita gesta loquar.
 15 Forte sub Eoo, qua Lucifer emicat, orbe,
 16 exerit et croceos hic ubi Phoebus equos,
 17 ultimus antiqua minorum e stirpe regebat
 18 imperio Assyrias Sardanapalus opes.
 19 Non illi Euphratem media Babylone fluentem,
 20 non liquidi visas fertur Araxis aquas.
 21 Mira loquar : non ille Ducum, non militis usus,
 22 proelia, nec celeres nosse putatur equos
 23 ignorusque viris, et religione timendus
 24 femineos inter delituisse choros.
 25 Pallia quaeque virum fortemque decentia regem
 26 reppulit, haud humeris visa sedere suis.
 27 Pro galea fasces, teretes pro cuspide fusi
 28 turba puellarum militis usus erat.
 29 Hinc manibus fusos et stamina longa trahebat,
 30 pendebatque humeris arte recincta colus.
 31 Femineo stabant suspensa monilia collo,

32 curva supercilium grande peregit acus.
 33 Jam pater alterutrum Phoebus tepefecerat axem :
 34 pupureos iterum sollicitabat equos.
 35 Ille puellares et longum in terga fluentes,
 36 in nodumque habiles coepit habere comas,
 37 vellere supposito graciles tumuere mamillae,
 38 et totum poterat dissimulare virum.
 39 Jamque Palaestinas inter regina puellas
 40 nebat, jam mulier Sardanapalus erat.
 41 Vidisses radiis, longos siccare capillos,
 42 et Zephyro croceas saepe dedisse comas.
 43 Et modo reticulis, humili modo cingere vitta,
 44 pectine nunc altum suffricuisse caput.
 45 Femineos nutus mollemque expromere vocem
 46 et tremulos oculos aptaque signa notis.
 47 In teneras tantum fuerat vir ille puellas,
 48 quique alias mulier vir, erat ille toro.
 49 Haec sunt quae canimus magnorum proelia regum ;
 50 haec tibi si placeant, belliger auctor ero.

AD PHOEBUM.

E3_4 v.1 Cum mea pro reditu lustraret Apollinis aras
 2 nympha, Sybillinos consuleretque Lares,
 3 nuda pedem, passisque comis, niveoque recincta
 4 tegmine, fatidico supplicatura Deo,
 5 me miserum, fertur visa caluisse puella
 6 Phoebus et indignos ore dedisse sonos :
 7 "Parce puellares extinguere fletibus annos,
 8 quaerere fallacis desine facta viri.
 9 Ille quidem extremas Tiberini fluminis undas
 10 incolit, et nulla jam sibi cura tui.
 11 Nec mihi mentiri fas est ; haesisse puellae
 12 dicitur, et de te garrula verba dare.
 13 Nec pudet, insontem quod sic violaverit ignem,
 14 et sanctos mores ingenuamque fidem."
 15 Perfidus interea nimium perversa susurrat,
 16 addit et infidas lingua proterva notas.
 17 Nunc tibi, Phoebe, cadant rutulis cum crinibus axes,
 18 nec medicam possis, nec dare lucis opem !

AD BENEPLACITUM DE TIBERI

E3_5 v.1 Tybri, triumphato quondam regnator in orbe,
 2 ecce tuas juvenes ante vagamur aquas.
 3 Hic natat et celeres jactat sub brachia remos,
 4 pectoreque adversam verberat udus aquam.
 5 Ille cavo metuens corpus committere stagno,
 6 litore et extrema non nisi rupe sedet.
 7 Pars conto vestigat aquas, pars retia tendit,
 8 sustinet hic hamos tortaue fila regit.
 9 Solus ego molli jaceo miserabilis herba,
 10 et dominae semper cogito facta meae.

AD CARMILIANAM.

E3_6 v.1 Quae tibi nunc scribo magno compulsus amore,
 2 accipias animo, Carmiliana, bono.
 3 Forma quidem fluxa est, rapidi ceu fluminis unda,
 4 quam gelida hiberna de nive fecit aqua.
 5 Verus amor, sincera fides, non fictus amicus,
 6 per nullas fiunt languidiora moras.
 7 Quam facile est precibus cari succumbere amantis,
 8 pro te tam parva magna parare potes.
 9 Qui nisi sim ingratus, ni perfidus ipse futurus,
 10 perpetuo fiam, Carmiliana, tuus.

AD SE IPSUM DE BONA ACCESSIONE PROVINCIAE.

E3_7 v.1 Jamque peregrinas (sic, Di, voluistis) ad oras,
 2 sive bono factum est omine, sive malo
 3 venimus, atque alia caeli regione tenemur,
 4 sumque Tibris primus incola factus aquis.
 5 Abstrahor ad gelidi glaciale sideris axem,
 6 hic ubi Tyrrenis Umbria finitima est.
 7 Abstrahor a patria, quodque est crudelius, heu ! heu !
 8 abstrahor a facie, Sylvia pulchra tua.
 9 Qua teneo vesanus iter, quo sidere fretus,
 10 extremam rapior stultus in Etruriam ?
 11 Tigribus Hycarnis, orbis truculentior ursis,
 12 aspera quos sequitur per juga turba canum,
 13 Arcadiisque feris lateque furentibus Euris
 14 durior, et Sicula cum mare fervet aqua.
 15 Non huc Vulturis placidis se praevehit undis,
 16 Campanae, non hic suspiciuntur aves.
 17 Heu ! tantum Campanus amor, sive ille volarit,
 18 sive indefesso venerit ille pede,
 19 venit, habetque ferox totum, versatque medullas ;
 20 nec miser hoc possum delituisse loco.
 21 Dic age, quaeso, puer, totumne subegeris orbem,
 22 ausus ad occiduas Cypricus ire plagas ?
 23 Quaque fatigatus submergitur Hesperus undis ;
 24 quaque idem roseos Lucifer urget equos ?
 25 Nil tibi tranquillum est ; vidit tua tela Bootes
 26 quae Garamantea senserat Auster aqua.

AD SE IPSUM DE SYLVIAE PULCHRITUDINE.

E3_8 v.1 Proh dolor ! audacis nocuit mihi copia linguae,
 2 commerui toties ; cur ego vana loquor ?
 3 Profuit Alcinoi, nocuit facundia nobis.
 4 Heu gladio ferior nunc miser ipse meo !
 5 Hanc ego laudavi, et numeros laudando peregi ;
 6 tunc potui lingua, tunc caruisse manu.
 7 Et magnum est, cupiuntque deae praeconia vatum :
 8 intumuit nostris versibus Alcinoe.
 9 "Credo, inquit, multas quarum stat fama superstes,

10 nomine plus vatū, quā veluisse suo.
 11 Sunt, quae mortales tandem nova numina factae,
 12 quae semper de se gesta canantur, habent.
 13 Utque sibi vatem quaeque est fortita disertum,
 14 praeclari tantum nominis illa tenet.
 15 Quid mihi si aeterni formae referentur honores,
 16 carmine si vatū pulchra fuisse canar ?
 17 Et canor, inque omnes venient mea fama minores,
 18 et vivam, et nulla ex posteritate cadam.
 19 Sylvia namque aderat tristi sub pallida vultu,
 20 laudatam numeris credidit esse meis.
 21 Et fuerat, tristesque minas intendit et iram,
 22 et quae nunc de me laesa queratur, habet.
 23 "Exsuperare, inquit, quicquid mortale putabam,
 24 et nulla fieri posse caduca mora.
 25 Hinc amor et blandi lasciva per oscula lusus
 26 et quae te toties admonere notae.
 27 His tibi credebam magnas in carmine vires
 28 adjicere, his artes ingeniumque dari.
 29 Cumque tibi dederim vires, artemque canendi,
 30 muneribus nostris altera dives erit.
 31 Credulus es, paulumque tibi tua cognita forma,
 32 non facies nobis, quam tua lingua placet.
 33 Non pretium de me gemmas, aurumque poposci,
 34 inque tuos agros ambitiosa fui.
 35 Hoc volui tantum, ne me mortalibus auris
 36 exuerem metas praeteritura rogi.
 37 Quas ego commisi terrae, metet altera fruges ;
 38 texta meis digitis altera sarta geret.
 39 Perfide, si nullo mecum tenearis amore,
 40 inque animum veniat Sylvia nulla tuum."
 41 Num fuit Alcinoes, etiam te iudice, nobis
 42 forma per ingratos anteferenda modos ?
 43 Erubui totus, volui potuisse negare ;
 44 sed fuerat facti conscia turba mei.

AD TIRIANUM.

E3_9 v.1 Candide, lascivum carpis, Tiriane, libellum
 2 forsitan impuros cum ferat ille sales.
 3 Si tibi nulla Venus, nec amor, nec blanda voluptas,
 4 nec dulcis soboles conjugiumque placet,
 5 in vacuaque domo nulli periture moraris,
 6 desertoque jaces anxius usque toro ;
 7 at mihi jucundos tribuit Venus aurea mores,
 8 nec puto me quercus, nec genuisse feras,
 9 nec solidas valeo naturae vincere leges,
 10 convenit ingenio mollior aura meo.
 11 Terra ferus nutrit Lybica regione leones,
 12 et nemore Assyrio luridus anguis hiat.
 13 Gargarus at segetes gignit, Campania cedros,
 14 dant Arabes Cassam, fertilis Hybla thymo est.
 15 Sic non una omnes genuit natura, severus
 16 huic canis, huic curva falce placebit avis.
 17 Ille reflectit equos, amat altas ille carinas,

18 hic laqueos tendit piscibus, ille feris.
 19 Caesaris hic miles magni, hic mercator acervi ;
 20 Cynthia grata tibi est, est mihi grata Venus.

AD BRACCIUM.

E3_10 v.1 Di tibi dent et opes Croesi, Martisque triumphos,
 2 Aeacidae vires, Caesaris imperium.
 3 Victor eas bello, carusque in pase togatis,
 4 mille tuam exornent clara trophaea domum.
 5 Quid magis exoptas ? Tantum Venus alma faveto,
 6 Dardanio quantum faverat ille Duci.
 7 Sint, Bracci, gemini praesentia numina amoris,
 8 inque sinu teneas, quam cupis ipse, tuo.
 9 Scilicet haec Croesique opibus, Martisque triumphis,
 10 10 Aeacidaeque armis anteferenda putes.
 11 11 Haec precor, et sanctas extis salientibus aras,
 12 12 exserto incendit poplite fida manus.
 13 13 Quicquid dives Arabs, quicquid misere Sabaeae,
 14 14 ante meos fument in tua vota Lares.
 15 15 Parva quidem, sed quanta potest dare praemia vates,
 16 16 pauca tuis refero carmina muneribus.
 17 17 Non mihi sunt auro late crispantia vasa,
 18 18 palliaque artificii Sardonicata manu.
 19 19 Munera dant Proceres, reddunt mera carmina vates,
 20 20 qui dederit, quod habet, maxima quoque dabit.

AD SURIANAM.

E3_11 v.1 Ecquid erit, Suriana, modus finisque canendi ?
 2 Si pulchra ad laudes efficiare meas,
 3 quoque magis canimus, magis hoc videare canenda,
 4 perpetuum nobis exorietur opus.
 5 Parce tuos nivea dissolvere fronte capillos :
 6 sat mihi compositas est cecinisse comas.
 7 Parce et inaurato crinem succogere nodo :
 8 heu mihi, quam multis hac quoque parte places.
 9 Cur niveo pendent pretiosa monilia collo,
 10 10 et varia totiens compositum arte caput ?
 11 11 Candida per medios humeros mediosque lacertos
 12 12 fascia quam tractu conveniente cadit.
 13 13 Seu sis in tunica : tunica formosa videris ;
 14 14 pallia seu sumas, pallia sumpta placent.
 15 15 Purpurea formosa toga, formosaque in auro,
 16 16 te nigra, te flavo murice tincta decent.
 17 17 Aurea Tithoni conjux, argentea Phoebi,
 18 18 alba soror magni facta videre Jovis.
 19 19 Deposita quotiens intras floralia veste,
 20 20 accipere, Idaeo iudice, poma potes.
 21 21 Ergo siste novi speciem variare decoris,
 22 22 et formae dotes incumulare tuae.
 23 23 Sive placent nigrae, tinctae seu murice vestes,
 24 24 seu nodo, aut fusa te juvat ire coma,
 25 25 elige, qua possis oculos retinere magistros,

26 sitque tibi satis hoc, compositam esse semel.
 27 Obruimur, nostros vincunt praeconia versus,
 28 una satis facie qualibet esse potes.
 29 Adde etiam innumeras artes dotesque canendas,
 30 in tantis minimi est forma putanda bonis.
 31 Non cecinit melius, nigri quum pectora Ditis
 32 flexit, Apollineae clarus in arte lyrae.
 33 Nec quem suppositus spatiosa per aequora piscis
 34 in patrium venit deposuitque solum.
 35 Moenia pugnacis mirari desine Trojae,
 36 moenia Phoebeae structa canore lyrae,
 37 et quae creverunt directis condita saxis ;
 38 haec quoque non hominum moenia facta manu
 39 scilicet haec poterit Marpesia saxa movere,
 40 atque adamanteam flectere duritiem.

AD AMOREM.

E3_12 v.1 O amor, o nimium celeres in corda sagittae,
 2 et motae toties in mea damna faces !
 3 Parcite Pierio vati ; nova praeda petenda est,
 4 non idem semper depopulandus ager.
 5 Arsimus heu miseri plus quam satis, armaque victi
 6 jecimus, et nullas esse fatemur opes.
 7 Cur iterum expositi per vulnera mille petamur ?
 8 An videor nimium condidicisse pati ?
 9 Deficiam ; fessique cadunt a pondere tauri,
 10 perpetuum possunt nec juga ferre diem.

AD SE ISPUM

E3_13 v.1 Nullane Campano requies debetur ? An omnis
 2 vita mihi turpi est dedita servitio ?
 3 Arboribus Zephyri parcunt et fluctibus Euri,
 4 aestas non semper, nec fera semper hiems.
 5 Vidi ego caeruleis caelum squalescere nimbis,
 6 et vidi roseos currere Solis equos.
 7 Et modo cervices flectunt ad aratra juvenci,
 8 nunc juga defuncti vomere summa petunt.
 9 Miles equos, arcus et fortia tela remittit,
 10 nec galea impexas opprimit usque comas.
 11 Cuncta vices habuere suas, ego semper eandem
 12 praecipiti infelix cardine verso rotam.

AD SEIPSUM DE SURIANA.

E3_14 v.1 Non ego sum felix et sidere natus amico,
 2 dulcia cui totiens proelia movit amor ?
 3 Pulchra meis late regnat Suriana medullis,
 4 sola potest animos illa tenere meos.
 5 Hoc etiam laetor, melior mihi praeda parata est,
 6 perque gradus noster tendit ad alta Deus.
 7 Sit, citra formam, qualis Suriana requiris.

8 Et melle et dulci suavior ambrosia est.
 9 Stat nitor in vultu, qualis solet esse dearum,
 10 purpureus niveo surgit in ore pudor.
 11 Mille licet cupiant noctuque ad limina perstent,
 12 flectere nullius hanc valuere preces.
 13 Haec mea materies, erit haec mihi sola canenda ;
 14 da veniam, multis, blanda Diana, faves.
 15 Non mihi rivales, non turbida fluminis unda,
 16 sed liquor ingenuus perspicuusque placet.
 17 Quas tibi nunc laudes, clarae praeconia formae,
 18 ordiar, Alfena nata puella domo ?
 19 Digna tuo, statuit latum qui legibus orbem,
 20 qui dubia interpretes jura resolvit, avo.
 21 Bartholus, antiqua tibi quantus origine fertur ?
 22 Tu forma illustras, legibus ille domum.
 23 Quosque ille instituit per mille volumina mores,
 24 vincuntur vitae simplicitate tuae.

DE SIGISMONDO.

E3_15 v.1 Jane, seram laxa, bello Sigismondus et armis
 2 fulminat, Adriaca victor in Hesperia.
 3 Bella fremunt, vici passim capiuntur et urbes,
 4 procedunt clari signa superba Ducis.
 5 Succubuere hostes intra sua moenia pulsi,
 6 nec victi, quo se jam tuebantur habent.
 7 Instat atrox, armisque premit, labentia pulsat
 8 moenia, et hostiles diripiuntur opes.
 9 Obvia cuncta ferox consternit, ut horridus Auster,
 10 aut Boreas late personat in nemora.
 11 Robora celsa ruunt, stringuntur turbine quercus,
 12 cunctaque in adversum decubuere latera.
 13 Hunc mea Musa canet, clarumque ad sidera nomen
 14 efferet, ingenio major at ille meo est.
 15 Quid faciam, gravis haec si humeris est sarcina nostris ?
 16 et cadit a nimio pondere grandis equus.
 17 Dura licet domitique boves fortesque juvenci
 18 colla ferant, nimium non patiuntur onus.
 19 Verba utinam factis aequentur, carmina rebus,
 20 utque animus nobis, suppetat ingenium !
 21 Tempus erit quo nos quam sint sua clara trophaea
 22 et grandi partas ore canemus opes.

AD POLIPHEMUM.

E3_16 v.1 Sunt quibus arma placent obtectaque pectora ferro,
 2 quos ego nimirum desipuisse putem.
 3 Sunt quos Argolicis peregrinas puppibus oras
 4 lustrare, et soli proxima regna juvet.
 5 Alter opes nimias furialeque ut ageret aurum,
 6 evigilat noctes, evigilatque dies.
 7 Major turba forum legesque exercet amaras,
 8 incauti exsorbens fraude clientis opes.
 9 Cuique suum est studium, nec eodem sidere cuncti

10 nascimur : o felix cui placere sua !
 11 Certe ego nec saevi Martis discrimina quaero,
 12 nulla placent animis sanguinolenta meis.
 13 Nec placet exiguum hoc aevi objectare periclis,
 14 et ruere audaci per mea fata manu.
 15 Sive cadas, miserum est animam secludere ferro,
 16 spargereque hostili membra recisa manu.
 17 Utque animam serves, felix, nec viscera carpans
 18 et rapidae volucres noctivagique lupi,
 19 mille cicatrices horrendaque vulnera toto
 20 corpore, quae late conspiciantur habes.
 21 Jam pede, jam manu, jamjam capiere lacertis,
 22 praevio et errabis jam, Polypheme, cane.
 23 Corpora seu passim feriens hostilia funda,
 24 caesaque pulveream turba cruentet humum.
 25 Non durare potes, si quid tibi crimine partum est,
 26 evolat, et dives fraude jacebis inops.
 27 Praetereo miseras mortes, nec more sepultas,
 28 turgeat ut gelida triste cadaver humo.
 29 Ut secumque dabunt incerta pericula belli ;
 30 heu furtis animam perdere quid gravius ?
 31 Provida cunctarum rerum natura magistra
 32 armavit cornu, dentibus, ungue, feras.
 33 Scilicet ut possent rapere, et laniare, ferire ;
 34 ingenium nobis mitius illa dedit.
 35 Addidit et lacrimas, et risum, qui foret index,
 36 humani speciem pectoris esse tibi.
 37 Junxit amicitias, et eodem culmine tecti
 38 muniit, inde omnes turba propinqua sumus.
 39 Seu spolies armis quemquam, seu fraude protervum est ;
 40 ne capiant animos impia fata tuos.

AD BRACCIUM.

E3_17 v.1 Tusci nominis et militiae decus,
 2 Bracci, dum rosea conspiceris toga,
 3 argentoque tuum perradiat latus,
 4 quid mentis Domino, quidve animi putas ?
 5 O quales tacita in concubitus ruit,
 6 tunc cum densa virum turba faventium
 7 lato subsequitur conspicuum foro,
 8 cum certat populus flectere amans caput,
 9 et cerni prope ; tantum ille favet tibi,
 10 quantum tu Dominae quoque oculos habes
 11 in te tu populi, jam illa tenet tuos
 12 optatam quotiens verteris ad domum,
 13 suspiras, lacrimis oraue defluunt,
 14 et tardo graderis respiciens pede.
 15 Procedit gradus, at languida mens redit,
 16 nec reddi a domina jam socia potest ;
 17 hanc tota illa tenet, reddere vult nihil.
 18 Sed torques dominam, desine jam queri.
 19 Nam torques dominam : magna enim amantium
 20 illa est portio, cum mutuus est amor.
 21 Sunt caetae, et metuunt murmura dissona,

22 offenditque puellas amor agnitus,
 23 amplexuque frui vel Jove clam volunt.
 24 Furta haec, quae perhibent dulcia amantium
 25 vulgatae veneres nec stomacho placent.

DE DOMINAE SUAE EXALTATIONE.

E3_18 v.1 O dulces animi mei !
 2 alto delicias quas gero pectore,
 3 tunc cum Pieridas voco,
 4 quae raucam faciles concinere ad lyram,
 5 festos mecum agitant choros,
 6 et larga teneras dant violas manu,
 7 spargunt purpureas rosas,
 8 et laetis redolet carmen odoribus.
 9 Certent numina quae volunt,
 10 non plus laudis erit Lucifero vago,
 11 non quae vel Jovis in toro
 12 molli sceptra viro subripuit manu,
 13 lusus inter et oscula :
 14 non quicquid numeri, aut denumeri pedes
 15 alto efferre queant polo,
 16 tam extollunt Dominam Pierides meam.

AD VENEREM.

E3_19 v.1 Cur, (dic), dies numquam, Venus aurea,
 2 mihi quietis, quando tuus puer
 3 laxet manu duras habenas ;
 4 nec premat acer equos facesque ?
 5 Satis dedi jam supplicii miser.
 6 Videri possem dignus amoribus,
 7 bella mea dignus puella ;
 8 ferrea si ferat illa pectus,
 9 favere nobis debet amantibus.
 10 Tuus Cupido cur igitur premit,
 11 urget face occulta dolosus ?
 12 Perfidius nihil est amore,
 13 dolosius nil est, magis impium,
 14 puella cum est ingrata et impia,
 15 tigres et hirsutos leones
 16 et nemus omne minus ferum exstat.

AD AURIANUM

E3_20 v.1 Cur scribant tibi, quaeris, Auriane,
 2 qui sacras hedera subornant comas ?
 3 Vivunt carmine pauperes poetae ;
 4 si nugas adimas, fame peribunt.
 5 His mendacia sunt opes et aurum ;
 6 his umbrae gelidae otiumque molle ;
 7 labentisque placent aquae lapilli.
 8 Cum dent carmina, pallium rogabunt ;

9 insanos facient, cibum rogabunt ;
 10 evellent oculos, togam rogabunt.
 11 Nec credas sitientibus poetis ;
 12 dicunt omnia libere petuntque ;
 13 fingunt quaeque volunt, putantque palmam
 14 mentiri bene gloriosiore.

AD SEIPSUM

E3_21 v.1 Saevis horridior janua tigribus
 2 quas urgent rapidis per juga montium
 3 pastores canibus, nec mihi flecteris,
 4 nec sentis miseri vota clientuli :
 5 clauduntur solidis roboribus fores.
 6 Perdat te rapido fulmine Jupiter,
 7 et duris quatiat nocte bipennibus !
 8 Qui nec pauperiem ferre famelicam,
 9 nec parvos valeat pascere liberos,
 10 cur me, difficilis janua, prohibes ?
 11 Ad dulces dominae prosilium sinus,
 12 et mellita genis basia conferam,
 13 quales Chaoniae corripiunt aves,
 14 celsis dum geminant murmura turribus.

AD MUSAS DE PIO II.

E3_22 v.1 Vulgus ignavum et rude, quid capacis
 2 ad fori curris geminum sedile ?
 3 Non tua haec spectacula, cede Muis,
 4 cede poetis.
 5 Nunc lyram, nunc profer, Apollo, carmen
 6 et poetarum decus eloquentum :
 7 flava bellorum domitrix Minerva,
 8 Aegida pone.
 9 Venit Aeneas Pius, o Camenae,
 10 surgite, ad festos cythisos venite.
 11 Quid facis, Clio ? Quid agis, Thalia ?
 12 plaudite mecum.
 13 Arcadam custos veterum, Lyaeae,
 14 nunc canens infla calamos loquaces
 15 Maenali Aeneam resonans cacumen
 16 tollat in astra.
 17 Cinge Maenandrum modulis canori
 18 gutturis, mulce volucres tepentis
 19 veris, argutum reserent palatum
 20 per nemora alta.
 21 Quicquid usquam est laetitiae placentis,
 22 gaudii quicquid subeat theatrum,
 23 concinant altum pueri senesque,
 24 omnis et aetas.
 25 Et Pium celsae geminent fenestrae,
 26 et Pium curvae resonent tabernae,
 27 et fori duplex aditus frementis,
 28 et loca cuncta.

29 O diem nobis solide beatum !
 30 prosperum illuxit nitidumque sidus,
 31 Italae gentis miserere nostrae
 32 Religioni.
 33 Barbari cedet furor apparatus,
 34 Thessali sanctos metuunt Quirites,
 35 Itali praedam referent opimam,
 36 hoc Duce freti.
 37 Jam strepet totum Latium sub armis,
 38 undique illustres veniunt Tyranni
 39 ad pedes nostri Domini, ferocem
 40 Turcum adituri.
 41 Qua vides Plaustrum gelidi Bootae
 42 ambitu lentos agitare cursus,
 43 Mantuam duri veniunt Rutheni,
 44 casside tecti.
 45 Qua cadunt Phoebi roseae quadrigae,
 46 ultimi rerum veniunt Britanni ;
 47 et breves linqunt domituri opimam
 48 Persida noctes.
 49 Teutones alto veniunt ab axe ;
 50 Alpibus Cimbri properant nivosis ;
 51 ense Germani graviore cogunt
 52 mille catervas.
 53 Et Pii notas referunt ad aures
 54 hostis immanes furias, cruenti
 55 ut Scythae nostrum sitiunt cruorem,
 56 vulnere mitem.
 57 Milites nullis domitos Iberus
 58 viribus mittit gracili juvena,
 59 et procax linqunt pelagus Sicani
 60 classe potentes.
 61 Victor imbellem subiges Orontem,
 62 Persidis latae Syriaeque gazas,
 63 atque odoratos Arabum liquores
 64 Tibri, videbis.
 65 Sub jugum tecti venient Geloni,
 66 nec premet nostros Scythicus Penates,
 67 Dardani durum excutient tributum
 68 Illyricique.

AD PIUM II PONT. MAXI.

E3_23 v.1 Parnassi gemini novem puellae,
 2 quae Cirrhae colitis jugum atque fontem,
 3 nunc laurus hederaeque pertinaces
 4 cingant templa, fores et alta tecta,
 5 rugas excutiant senes severi,
 6 et jucunda juvenus, omnis aetas,
 7 flava tempora colligant corona.
 8 Spargatur viola forum atque acantho,
 9 parcat nemo rosisque liliisque,
 10 decantentque novos modos poetae,
 11 quales audierit nec ipse Apollo,
 12 nec jam Tritona Pallas, et deorum

13 quod terra aut pelago, polo vel usque
 14 celso. Sidera clarius micarunt,
 15 illuxitque dies Senae beatus,
 16 Etruscaeque plagae, sacrisque Musis
 17 Aeneas Pius et sacros poetas
 18 et laetas facili manu Camoenas
 19 affert in Latium suum. O Di boni,
 20 quantum laetitiae huic dedistis anno !
 21 Non hic Dardanios refert penates
 22 aut raucum Phrygiae gregem Cybeles,
 23 sed laesum Dominum Deum Latinum.
 24 Grandis Roma suos habet triumphos,
 25 Aeneamque suum vident Quirites.
 26 Quid majus potuere Di benigni
 27 largiri Latio ? Quid et Camenis ?
 28 Felix Tusca plaga et beata terra,
 29 tu primum Aonias referre Musas
 30 in nostram Hesperiam, et fovere primum
 31 ausa es. Quis tibi nunc queat decentes
 32 hoc pro munere gratias referre ?

AD PAPIENSEM.

E3_24 v.1 Vadas, Musa mea, ad deos minores ;
 2 Lucensem, solidum meum favorem,
 3 quando indigna Jovis videre frontem,
 4 nec mirere, me tuam opem invocare,
 5 et sanctas totiens remitti ad aedes.
 6 Solum si quis inops habet clientem,
 7 si solamque togam unicumque amicum,
 8 hoc uno utitur ille parte in omni :
 9 idem pistor eris, coquus sed idem,
 10 idem portet aquam, torumque sternet.
 11 Ergo cum ipse habeam togam aut amicum
 12 nullum, quam te, alium, negotiorum
 13 in te, quicquid erit, refundo curam.
 14 Vade ergo intrepida ad Pii penates
 15 Lucensique meo refer sub aurem :
 16 Campanus tuus et tibi salutem
 17 dicit plurimam, et orat, ut juves se ;
 18 promittit tibi se tuum futurum
 19 vita omni reliqua, et viros juvare
 20 cum possis, nihil est magis deorum.
 21 Crescas muneribus licet, peribunt :
 22 coetus te medium tegant, peribunt :
 23 numquam, quae facies bonis, peribunt.

AD GORUM LOLIUM.

E3_25 v.1 Accusas mea carmina,
 2 iratamque mihi Calliopen, Loli,
 3 et tardum ingenium putas.
 4 Non eo inficias, confitear probe.
 5 Tales sunt numeri tamen,

6 quales sunt oculi (nunc) Dominae meae :
 7 cum spectat placide, et diu
 8 haerent luminibus lumina, vincitur
 9 vates Maeonius mihi,
 10 et Thebana mei carmina Pindari,
 11 tunc cum succrepuit lyra,
 12 tangens alta sono sidera stridulo.
 13 Contra Pieridum fugit
 14 longe tota cohors, et numeri cadunt,
 15 irata Domina mea.

AD DIANAM.

E3_26 v.1 Purpurae quicquid pelago natate,
 2 et legi quicquid poterit rosarum,
 3 compares frustra niveae labellis,
 4 lippe, Dianae.
 5 Caucasi cedet niveum cacumen,
 6 cum gelu horrenti glacieque bruma
 7 contrahit caelum, leporemque sistit
 8 colle nivoso.
 9 Lilii cedunt folia et ligustri
 10 candido collo gracilique mento,
 11 dentibus cedent Phanii colossi
 12 albaque cuncta.
 13 Quid tibi pressas referam papillas ?
 14 Mente quas volvens cupide resolvor,
 15 et manu palpans videor tenere
 16 stringereque artae.
 17 Quae latent alto gremio sinuque
 18 non licet fari : loca sunt deorum.
 19 O deus quando ipse forem, ut videre
 20 haec loca possem.

AD SE IPSUM

E3_27 v.1 Campanum tepido abditum cubili,
 2 lodiceisque gravi globo involutum,
 3 stertentemque sibi, sibi oscitantem,
 4 curis explicitum negotiosis,
 5 quid vexas strepitu sub aure semper
 6 inclamans querulo sono : "Excita te."
 7 Tum cum Aurora leves movet quadrigas,
 8 et noctis lacrimis comaque Phoebes
 9 stillatae teretes cadunt pruinae,
 10 cum primos aperit Apollo crines,
 11 et Pindum crocea ferit sagitta,
 12 cum dulcis sopor et quies, amicos
 13 perfundens leniter jacentis artus,
 14 divis me faciunt beatiorem.
 15 Aut ergo Fabiano dormienti
 16 haerebo comes implicatus arte,
 17 extensus geminis toro lacertis
 18 et curis simul omnibus fugatis,

19 aut tristes abigens procul querelas,
 20 Campani solidos juves triumphos.
 21 Occlude illic et ostium catena,
 22 et rimas patulae impedi fenestrae,
 23 ne quid perpetuam excitet quietem ;
 24 pulvinum capiti refer decenter,
 25 apte ut subsideat, nec ulla tristem
 26 admittant hiemem resecta membra,
 27 sed totum tege culcitra jacentem.
 28 Si extendas etiam togam lupinam,
 29 aut vulpinam, erit hoc magis benignum.
 30 Suspense hinc abeas gradu, nec ullus
 31 irritet crepitus seram loquacem.
 32 Hinc leni sonitu Jovem tonantem
 33 et ventos pluviamque innumerosam,
 34 quae somnos faciant suaviores,
 35 optabis mihi ; mox parabis ignem,
 36 et laetas epulas, et acre spumans
 37 auro ipso rutilantius Falernum,
 38 tunc cum sol medios agit jugales,
 39 et totum irradiat repens Olympum.
 40 Qui si huc accieris meam Dianam,
 41 tunc cum somniculosa, crine nondum
 42 collecto, et dubios fricans ocellos,
 43 rem multo facies benigniorem.
 44 Nam statim veniet, si eam vocaris,
 45 si crebras referes revolutiones,
 46 et quanta feriat torum sagitta
 47 Hellespontiaci furor tyranni,
 48 ergo vade citus, voca huc puellam.
 49 Tunc si quis fuerit, parum modeste
 50 qui me quaerat, abire eum jubeto :
 51 dic, non esse domi, nec affuturum
 52 hoc totum biduum, et fuisse multos
 53 qui me quaesierint profectum ad Umbros.
 54 Hoc veri officium est amici opusque,
 55 non aures crepitu ferire rauco,
 56 et vultu obstrepere horridum minaci.

DE ANCONA

E3_28 v.1 Quae nunc Adriaci custos sum littoris Ancon,
 2 olim, si nescis, Dorica terra fui.
 3 Finibus ejecti patriis regnoque Pelasgi
 4 haec, quae nunc spectas moenia conciderant.
 5 Nec me Graiorum turpe est insignibus uti :
 6 armavit primos Thessalus acer equos.
 7 Ergo mirari Danaos huc ire fugatos,
 8 desine ; nam hic vetus est hospitium Danais.

DE ALEXANDRO CARDINALE SAXOFERRATENSE.

E3_29 v.1 Fons erat hic lato defossus gurgite, qui nunc
 2 vix tenuis limum dat cara signa vadi.

3 Parvus Alexander nondum tribus editus annis,
 4 dum cupit ad flores lubricus ire, cadit.
 5 Exululat soror, et stagnum non ausa subire,
 6 concitat horrenti proxima tecta sono.
 7 Matrona accurrens puerum disquirit in unda :
 8 extulerat laevum plantula summa pedem.
 9 Arripit haec mersumque diu fatalibus undis
 10 in caput erectis crinibus alta tenet.
 11 Scilicet, ut curvo suspensus pectore in ora
 12 penderet, in bibitas evomiturus aquas.
 13 Sed tamen extincto praecordia livida flatu
 14 exanimis pueri tristia signa dabant.
 15 Unguibus in sparsos mater Joanna capillos
 16 irruit ; sunt tristes sidera alta notae.
 17 Cumque novem ad aram jacuisset mortuus horis,
 18 funeraeque irent horrida pompa faces,
 19 sicut erat sparsis mater miseranda capillis,
 20 ad saelum facto sustulit orbe manus.
 21 Inde sacram aspiciens intactae Virginis aram,
 22 pro nato sanctae fat pia vota Deae.
 23 Protinus est visus motis puer ipse labellis
 24 primum oculos alte tollere, deinde loqui.
 25 Ergo ubi convaluit sanctam deductus ad aram,
 26 sculpta loco agnovit Virginis ora Deae.
 27 Et subito amplexus notae simulacra figurae
 28 exclamat : Tulit haec ! Haec mihi mater opem.
 29 Gratus uterque parens lustro cum curreret uno,
 30 infantem sacris ritibus initiant.
 31 Crevit, et huic Divae teneris devotus ab annis,
 32 qua vita, hac tantum culmen adeptus ope est.

DE AMICA SUA.

E3_30 v.1 Jam mihi suspenso prope tertia labitur hora,
 2 nec venit ad dictum tarda puella locum.
 3 Confingo causas, quae sic mea vota morentur,
 4 et sunt, quae tristes excutiant lacrimas.
 5 Cogito posse quidem dominam ; sed nolle venire,
 6 hoc, nihil est, quod me fortius excruciet.
 7 Non posse interdum fingo, sed velle : quid horum
 8 durius ! Heu, quae vis optio dura mihi est.

EPITAPHIUM D. CAR. DE COLUMNA.

E3_31 v.1 Ne tu hoc despice, quod vides sepulchrum,
 2 seu sis advena, seu Quirinus unus.
 3 Ossa hic sunt sita Prosperi Columnae,
 4 divina probitate Cardinalis ;
 5 qualem nulla tulit, refert nec aetas ;
 6 quem luxit Latium extulitque Roma,
 7 et totus prope lacrimavit orbis.
 8 Ergo et tu quoque lacrima viator,
 9 aut statim hinc fuge, ne parum dolere
 10 tanto in funere Roma censeatur.

AD GORUM LOLIUM.

E3_32 v.1 Par unum, Gore, turturum volebam
 2 largiri tibi ; jam peracta grandis
 3 quae centum cavea obserat columbos ;
 4 confecti numeri, quibus pusillum
 5 munus cresceret, ut solent poetae ;
 6 cum coepit subito mihi liene
 7 torquens stomachus, et dolere venter
 8 et plus reddere quam datum fuisset.
 9 Accitus medicus jubet repente
 10 hos ipsos mihi turtures parari ;
 11 et factus nimium licentiosus,
 12 audaci ipse manu nihil timentes
 13 primum feminam hincque marem premit,
 14 tam penna varios obesulosque
 15 ut credas oculos Pii tenere
 16 jucundum potuisse, qua strepentes
 17 connectit philomela cantilenas.
 18 Nunc ne decipiare, neu queraris,
 19 servatam tibi mitto portionem :
 20 cum venter sibi turtures rogarit,
 21 tu versus si habeas, nihil querelae est.

AD LAUR. JUSTINUM.

E3_33 v.1 Laurenti, quae me cecinit tua Musa poetam
 2 e Clario Phoebi non venit illa specu.
 3 Nec quae Thessalicis colitur Dea montibus aram
 4 sollicitum pro me consuluisse puto.
 5 Non virides hederæ circum mea tempora serpunt ;
 6 nulla meam cingunt laurea sarta comam.
 7 Forsitan hoc censes ; sola qui fronde poetam
 8 metitur, vatem de bove saepe facit.
 9 Saepe coronato liquidum ferit aera cornu
 10 candida per medium ducta juventa forum.
 11 Magna igitur tibi sit, Laurenti, gratia, qui me
 12 inculta vatem dixeris esse comam.

DE IMAGINE SIGISMUNDI.

E3_34 v.1 Vive diu paries, longos ut duret in annos
 2 certa Sigismundi Principis effigies.
 3 Qui licet et gemma fuerat sculpendus et auro,
 4 non tamen huic pictus gloria parva loco est.

AD CAR. S. SUSANNAE

E3_35 v.1 Si tibi Campano sit opus, si quaeris amicum,
 2 haec utrumque tibi janua pulsa dabit.
 3 Tu modo, si clausa est, saxo ne limina rumpe,

4 neve manu, aut duro percute calce forem.
 5 Bis leniter digito ferias aut rauca patebit,
 6 aut tacita absentis dat tibi signa viri.
 7 Si pateat, laetus laeta intres limina ; sin sit
 8 clausa, domum repetens cras rediturus abi.

DE RESTAURATIONE.

E3_36 v.1 Inclyta ne sumet putri lutamine Roma,
 2 Paulus hic in rapidas volvere jussit aquas.
 3 Parcite jam media sordes jacere urbe, Quirites,
 4 candida ne domino sit minus illa suo.

LIBER QUARTUS.

AD PIUM II PONT. MAX.

E4_1 v.1 Ecquid erit, cum tot cumulent tibi carmina vates,
 2 et teret assiduas improba turba fores ?
 3 Num, Pie, nostra leges, fessasque arregeris aures ?
 4 An mitti in tristes sprete jubebis aquas ?
 5 Fercula fastidit stomachus vulgaria, rarum est,
 6 quod sapit, hoc Summi Principis ora decet.
 7 Non igitur laudes, titulos et grandia gesta,
 8 auspiciisque tuis cocita bella leges.
 9 Scilicet invita totiens haec accipis aure ;
 10 et mea tam lato parva carina mari est.
 11 Ergo alii hoc faciant, non est tibi gloria, voces
 12 languentes aegri substinuisse, minor.
 13 Cumque canant multi celebres altaribus hymnos ;
 14 vox quoque grata deo est, quae sibi quaerat opem ;
 15 multa tuum exornant laudum praeconia nomen,
 16 aure tamen facili vix, Pie, majus habes.
 17 Ergo leges : Scythico non haec tibi mittitur hoste,
 18 nec procul a templo littera facta tuo est.
 19 Ipse mihi dextram juveni timidoque dedisti,
 20 ad sanctos venit cum mea Musa Lares.
 21 Nec tunc ausus eram delubra ad celsa venire
 22 sacraque polluto templa subire pede.
 23 Misi Pierides ; illae mandata tulerunt,
 24 quae timidus certa condicione dedi.
 25 Jam tunc expertus, quantum pia numina possent,
 26 legatus statui nunc meus esse mihi.
 27 Sic tibi dum vario properat Rex omnis ab orbe,
 28 gratior est qui non misit, at ipse venit.
 29 Cur forsan, quaris, cum tot tua templa frequentent,
 30 ad te cessaram pergere solus ego ?
 31 Est ratio in promptu, quoniam atria ad alta vocari

32 arbitrii numquam credideram esse mei.
33 Grandia dum volvis, stratumque a caedibus orbem
34 erigis, a curis tempora nulla vacant.
35 Ingerere huc meme tantis de rebus agenti
36 nolueram ; gravis est, tempore ni quis agit.
37 Non bene cum fossis urbes cinguntur et armis,
38 vinosum cingent ebriaserta caput.
39 Nec bene jactatis hiberno navibus imbre
40 secura legitur parvula concha manu.
41 Nunc ubi (si placeat Superis) nova bella parasti ;
42 summa tui facta est maxima propositi.
43 Ejussi reges aciem stipendia cogunt,
44 magna parant terra proelia, magna mari.
45 Di, quorum imperio tellus, freta, sidera parent,
46 incoeptis vigili rebus adesse Pio.
47 Jam reparat cursus pelago sacra cymba secundo,
48 et prope stagnanti mersa resurgit aqua.
49 Aptantur remi, firmos capit ancora morsus,
50 felici incipiunt vela tumere Noto.
51 Cum liceant praecepta tibi molimina rerum
52 jamjam cursuram, perpulerisque ratem,
53 te jam redde tibi, missamque a litore classem
54 prospiciens, terrae consule, Dive, tuae.
55 Maxima cum certo direxeris ordine, eundum est,
56 ad minima ut nulla machina parte ruat.
57 Sic Deus ut medio Solem Lunamque locavit
58 non negat extremo sidera parva polo.
59 Pupureo late vestis si splendeat auro,
60 sordidam ut appelles parva, litura facit.
61 Magnarum quamquam stringunt te pondera rerum,
62 et majore sacer pondere sudet equus,
63 non minor est, parvis intendere lumina rebus,
64 gloria ; de minimis maxima cura Deo est.
65 Cum maria obducant, perstringant flumina terras,
66 vult etiam modici currere fontis aquas.
67 Parvula sic vigilat, latos spatiat in agros,
68 ne pereat longo de grege pastor ovis.
69 Ipse ego caelestis tua sector ovilia pastor,
70 jamque meos crines sancta corona notat.
71 Area, me miserum, sine frugibus et sine flamma
72 fumus ; ut hic oculis, sic nocet illa solo.
73 Cum tibi tot sacris errent in montibus agni,
74 de tanto non est cur grege pellat ego.
75 Destitui ne me sterili patiaris in umbra,
76 sufficiunt ventri pascua parva meo.
77 Non mihi flaventes auri poscuntur acervi,
78 neve tuam ut fraudes in mea vota domum.
79 Da mihi, quo possim titulo mea tempora sacro
80 cingere, et a coetu non procul esse tuo.
81 Cumque tot adveniant variis e partibus orbis
82 distribuenda tuum munera arbitrium.
83 Da mihi quod non tu cupies retinere, sed illis
84 concedis, quorum gratia parva tibi est.
85 Non, Pie, dimissus per latum nuntius orbem,
86 poscendum referat qui mihi munus, adest.
87 Tu nisi sponte tua dederis, nisi scripseris : hoc sit

88 Campani ; spes est nulla tenenda mihi.
 89 Ne, precor, exspecta precibus, Pater alme, rogari ;
 90 sponte datum munus gratius esse solet.
 91 Cum damus oranti cedit pars magna roganti,
 92 nostra puto, si qua munera sponte damus.
 93 Forsitan externis videor tibi natus in oris,
 94 cum prope Vestinum sint mea tecta Lirim.
 95 Per cunctos it cura deum ; sol omnia lustrat,
 96 sublimi tegimur infima quaeque Polo.
 97 Templa coronatis pendent ubi limina sertis,
 98 accipere externum finitimumque solent.
 99 Humana indignum quod si me forte putaris,
 100 caelesti non sum destituendus ope.
 101 Si mendicato vita est mihi pane tuenda,
 102 da, Pie, quo liceat vivere pane Dei.
 103 Ille dedit, quaecumque latent, quaecumque videmus ;
 104 exemplo largum te jubet esse suo.
 105 Pauper ego, fateor, fugiens regum atria, et ille
 106 pauperibus medicam ferre solebat opem.
 107 Non te praeterea cunctis mortalibus unum
 108 esse, sed in quosdam mitius ire decet.
 109 Cum tribuas multis, et sis in munera largus,
 110 sunt quaedam illustri constituenda loco.
 111 Larga Pii manus est, neque non potes ipse negare,
 112 multa dari, patrio qui latuere solo.
 113 Concedis cinctis, perituraque dona reportant,
 114 seu colat Australem, seu Scythicum ille Polum.
 115 Quae mihi contuleris nequeunt obscura latere,
 116 perveniet munus, quo mea fama, tuum.
 117 Non equidem inficior Gauri radicibus ortum ;
 118 prima tulit cursus Ausonis ora meos.
 119 Alitibus caelum domus est, et piscibus aequor,
 120 silva nemusque feris : hospita terra viro est.
 121 Ergo ubi sublatis tetigi puer aera pennis,
 122 Tyrrhena coepi sistere fessus humo.
 123 Ales ut e pluviis alium decurrit in orbem,
 124 et quo non orta est, libera penna volat.
 125 Hic mihi dum augustae vestigia persequor urbis,
 126 praecipiti currit septimus annus equo.
 127 Non equidem, ut placeam nimium mihi, talia dicam ;
 128 heu quantum ingenii paenitet exigui !
 129 Sed ratio est reddenda Deo, reddenda parenti :
 130 facta Deo narro nunc mea, narro Patri.
 131 In specula tamquam celsaque in puppe locatus,
 132 tam claro nequeo delituisse loco.
 133 Nobis obscurum perlustrat gloria nomen,
 134 et vaga sublimes undique pungit equos.
 135 Campano qui nunc crescebam incognitus agro,
 136 jam prope sum tota notus in Hesperia.
 137 Cognitus Hesperia sum, inquam, ne contrahe vultum,
 138 non fueras tantus, cum tibi notus eram.
 139 Tempora Puniceo fuerant praecincta galero,
 140 candida sed nullum dextra tenebat ebur.
 141 Viveret o utinam Novarinus ! Plurima de me,
 142 si non decipior, dixerat ille tibi.
 143 Hunc tu, si vivens tantum mihi faverat olim,

144 extinctum pro me nunc dare finge preces.
 145 Vivendi sancte studio et virtutis amore
 146 mollierant animos otia nulla meos.
 147 Primum igitur tenero fictos deflevimus ignes
 148 carmine, stultitiae haec ultima meta meae.
 149 Ante velut teretem vitis quam proferat uvam,
 150 purpureo sterilis rore madescit aquae,
 151 utque seges gracili cum nondum turget arista,
 152 luxurians vanis floribus ornat humum.
 153 Trasimeni post haec placidum descripsimus orbem,
 154 et qualis, quantus, quove sit ille situ.
 155 Piscibus ut vincat Maeotida, classibus aequor.
 156 Ut medium exornent oppida culta lacum.
 157 Nec tacui laudes Perusinae gentis, ut omnem
 158 Caesareis vincant artibus Italiam.
 159 Mille viros armis, totidem quoque legibus urbem
 160 ornasse, utrumque hoc Caesaris esse putant.
 161 Mox et in ingratos ardentia proelia movi,
 162 ostendi genus hoc nil placuisse mihi.
 163 Braccius ut fuerat longos extinctus in annos,
 164 mensibus exeruit vix caput ille tribus.
 165 Tempora si factis, scriptis aequentur et anni,
 166 aetatem vincent cura laborque meam.
 167 Virtutem exacuunt et poenae et praemia, jure
 168 poena malis danda est, praemia danda bonis.
 169 Nunc quoque quam varium est, quod possit opinio, nostrae
 170 exiguae magnum cuditur artis opus.
 171 Cuditur hei misero, sed non excuditur ; errat
 172 inter mularum nunc mea Musa greges.
 173 Currimus huc illuc, nullaque in parte moramur,
 174 una vel ingenio non datur hora meo.
 175 Dum sedet umbrosa pleno canit arbore ventre
 176 cum jejuna volat, maesta silebit avis.
 177 Saepe etiam positae quasi truncus inhaereo mensae,
 178 alterius stomacho metior ipse famem.
 179 Perferat ut venter jejuna longa sitimque,
 180 vix longum sese stantia crura ferent.
 181 Ah, Pie, servassem, quae tu praecepta dedisti,
 182 ostendens, quibus est curia plena malis.
 183 Jure igitur plector, monitus discrimen adivi,
 184 per notos laqueos cognita tela ruo.
 185 At, Pie, major erat clementia, qui tua sprevit
 186 praecepta, hunc tristi nolle perire situ.
 187 Redde mihi Musas, redde otia, redde quietem,
 188 officio haec uno reddere multa potes.
 189 Sit mihi, qua tanto nitidus vehar agmine, mula,
 190 sit toga, sint unde haec sustineantur opes.
 191 Quippe tuum quod habet totum sub nubila caelum est,
 192 juraque totius nunc Pius orbis habet.
 193 Ipse tuus cum sim, debes (quae cura deorum est)
 194 de rebus nobis consuluisse tuis.
 195 Dives habet hortos, fruges, vineta, legumen ;
 196 cuncta tamen natis contulit ille suis.
 197 Cumque habeant Domini vilissima corpora servos,
 198 dormire hos nuda non patiuntur humo,
 199 sic haedos numerans, numerans quoque rusticus agnos,

200 non volet hos tristi deperiisse fame,
201 quicquid habet curam, rerum quodcumque tuetur,
202 qua summa possit, nutrit et auget, ope.
203 Nec ratio haec sola est, prosit ratione moveri ;
204 accedent votis pignora multa meis.
205 Si patriam spectes, Musis jubet illa faveri,
206 Pegasides spretis ne repetantur aquae.
207 Ut dedit Aoniam Latio Tyrrhenia Musam,
208 sic per Tyrrhenam est auxilianda manum.
209 Sin te perspicias tenerisque a cursibus annos
210 excutias, Cirrhae pulvere plenus eris.
211 Proelia dum suades facili portalibus ore,
212 adversus Turcas expedienda manus.
213 Non tantum hostis atrox, quantum tu lingua movetur,
214 nescio quid graviter dijaculata potest.
215 Spicula torsisti nostris non nota pharetris,
216 qualia nec prisca torta fuere manu.
217 Haesimus attoniti, qualis qui tactus ab igni est
218 aethereo, quo sit, non videt ille, loco.
219 Ense gerant alii, moveas tu proelia lingua :
220 ut bene movisti, sic bene mota geras.
221 Dux acer vestigat equos, vestigat et arma,
222 quaerit quem telis, quem quoque donet equo ;
223 praefectos legit ille bonos, legit ille tribunos ;
224 ignavus laudum nil ibi miles habet.
225 Musa Pii quamvis longe supereminet omnes,
226 parque fere imperio sit tua lingua tuo,
227 non magis elucere potes, quasi agmine cinctus
228 Pierio, multos, qui superentur, habes.
229 Serta coronatus cum gestat Olympica victor,
230 primum inter mille gaudet habere decus.
231 Non ego, quo cunctis ingentia munera fundas,
232 postulo, quando tuae hoc vix patientur opes.
233 Munera da paucis ; incendent munera multos
234 paucorum numero sim tamen unus ego.
235 Strenuus ut miles non omnes excipit ictus ;
236 saepe cadit, quisquis saepius arma movet.
237 Si semel hic impegit equum, si straverit hostem,
238 perpetuum caeso nomen ab hoste feret.
239 Non etiam nummos atque aurea postulo vasa
240 sed quae sunt aliis distribuenda, peto.
241 Forsitan id quaeris, quod munus in orbe petamus,
242 arbitrii hoc totum sit, Pie Magne, tui.
243 Sint modo per claras orbes quaecumque dabuntur,
244 utque sit inde tibi gloria, et inde mihi.
245 Sic qui constituit volucrum certamen equorum,
246 illustri gaudet pallia stare loco.
247 Egressum ignotas sedes obscuraque tecta,
248 in celebri, qua vis, urbe manere jube.
249 Sive velis Regno nobis dare munera, non me
250 despiciet, quamvis Rex fera bella gerat.
251 Seu placet Etruscis, hac sum quoque cognitus ora,
252 sive alio, quovis non mihi clausa via est.
253 Reges accipient, ni fallit Numen, et urbes
254 orbis in nulla parte molestus ero.
255 Tu modo fac memori signans mea vota tabella,

256 Campani, dicas, sit locus iste mei.
 257 Tunc ego pane tuo vivens nactusque quietem,
 258 majore incipiam cuncta referre tuba.
 259 Sive velis strictum , seu dicere gesta solutum,
 260 ultimus in multis non tibi testis ero.
 261 Innumeras laudes, altae paeconia linguae,
 262 et grandi partas ore canemus opes.
 263 Nobilis ut proavis totum lustraveris orbem,
 264 perque gradus semper gloria adaucta tua est.
 265 Nullas umquam es adeptus opes, nil grande parasti,
 266 ut subito ad majus non sit aperta via.
 267 At fortuna tuis, si quando erat obvia, coeptis
 268 virtuti cessit succubuitque tuae.
 269 Ut primum mitra donatus, et inde galero,
 270 postremo rerum maxima scepra geris.
 271 Omnia pacasti, bellum, quod inhorruit Umbris,
 272 exstinctum sine vi sanguinis, hostis abit.
 273 Assisium quamquam, quamquam Nuceria ad illum
 274 descierat, nulla haec caede redacta tenes.
 275 Cumque tuae multum patriae debere putares,
 276 huic quoque tam miti es auxiliatus ope.
 277 Anguis ut horrendo, quem viderat, omine Poenus
 278 vastabat, sic tu surrigis Italiam.
 279 Quacumque incedas, concordia regna relinquens,
 280 felici peragras oppida et arva gradu.
 281 Grande tuum imperium, quantum nec lingua referre
 282 possit ; at hoc potuit grandius esse via.
 283 Edita magnarum superans fastigia rerum,
 284 qui se dimisit vertice, majus erit.
 285 Ulmus ut, umbrosum postquam extulit alta cacumen,
 286 hoc uno fiet grandior illa modo,
 287 si late spatietur humo, si gramen opacet,
 288 et pecus Etrusca contegat umbra coma.
 289 Ergo, ubi de summa magis de rebus agendum est ;
 290 non opibus parcis, non tibi, non senio ;
 291 stant animi in Turcum juvenes ratioque senilis,
 292 sic vivam, ut tanto dignus es imperio.
 293 Nam qui, cum possint, faciunt praeclara, diu se
 294 imperio dignos ante fuisse docent.
 295 Sic ubi scepra tibi, Romanaque jura dederunt,
 296 sive homines lecti, seu deus ille fuit,
 297 protinus armasti populum, mandata dedisti,
 298 ut celeres properent ad tua jussa Duces.
 299 Pontifices si quis multos tibi conferat uni,
 300 gesta tuus plura hic unicus annus habet.
 301 Humanis igitur cum tam sis utilis, annos
 302 eripiant aliis sidera, dentque tibi.

AD SIGISMUNDUM

E4_2 v.1 Insanos alii, Sigismunde, loquantur amores,
 2 et foveat tectas ille vel ille faces.
 3 At mihi perdomitaeque acies eversaue regna
 4 victricique placent parca tropaea manu.
 5 Non tamen, ut pulchram, quod ames, damnemus Isottam :

6 a juvene haec fuerat praeda petenda Duce.
7 Nos quoque fertiliter nostros deflevimus ignes ;
8 praebuerat primo Sylvia ligna foco.
9 Alter at hinc crevit stipulis majoribus ardor ;
10 heu mihi non habuit flamma secunda modum !
11 Per miseram jaculata facem Suriana medullas,
12 in cinerem potuit vertere, quantus eram.
13 Perque meos etiam versus cantata Diana est,
14 hic quoque non fecit vulnera, finxit amor.
15 Non igitur culpo, juvenis quos ludis amores,
16 in collum redeant ne mea tela meum.
17 Quis ferat occultum rigido si mordeat ore
18 pollutus toties Caesar adulterium ?
19 Quodsi vera mihi referunt simulacra puellam,
20 quae cupidus tecum tam bene picta geris,
21 nil umquam visum formosius, alta decoro
22 nescio quid spirant ora supercilio.
23 Crinibus aur Helenen, aut Memonis illa parentem
24 vincit, eunt comptae tempora in alta comae ;
25 fronte nitor patula, qualem cernare Riphaeis
26 Alpinis etiam credo cacuminibus.
27 Jucundum instillant oculi gravitatis honorem,
28 artifici haec nequeas facta negare manu :
29 candida sublimi prosurgit cardine cervix,
30 regale ostentans imperiosa decus :
31 albentes rubuere genae, rubuere labella,
32 quantum nec vilae, nec potuere rosae.
33 Cetera non vidi : defecerat arte magistra
34 ostendens solum caesa puella caput.
35 Scipiadas potuit, potuit movisse Catones,
36 si fuit haec certa sculpta figura manu.
37 Tum res ipsa magis quam vana umbracula tangit,
38 addidit et vires spiritus ipse suas.
39 Hic ego iudiciumque tuum, studiumque probavi ;
40 quaesita est tanto digna puella Duce.
41 Sed belli plus ardor habet, majoraque Martis
42 praemia sunt, una hac laurea parta via est.
43 Pressisti Siculos extra sua regna vagantes,
44 Tyrrhenas late dum populantur opes.
45 Vicisti Hesperiosque duces Hispanaque signa,
46 quotque habet effrenes Ausonis ora viros.
47 In te delendum fortis jurarat Iberus,
48 adjutus Sricula Barbaricaque manu.
49 Si cum magnus equos Alphonsus et arma pararet,
50 miserat in fines septima regna tuos.
51 Teque mari et terra validis praecinxerat armis,
52 terra mille manus, aequora mille rates.
53 Instabat rex ipse atrox, armisque premebat,
54 eversum ire tuas saepe minatus opes.
55 Undique coguntur signis minitantibus arma,
56 auxiliumque tibi nullus opemque tulit.
57 Ipse tamen sistendo acies, inimica morando
58 agmina, nil laesas arte tueris opes.
59 Infestum tandem virtus tua reppulit hostem,
60 finibus excedunt Martia signa tuis.
61 Non tantum evictaeque urbes, populique subacti

62 laudis habent, quam tot substinuisse Duces.
 63 Quem varii casus, et mille pericula versant,
 64 si non succubuit, grandius egit opus.
 65 Non bene tranquillis Pelagi laudabitur undis
 66 navita ; qui vento navigat, ille sapit.
 67 Nec ego si flatu pergant mea vela secundo,
 68 matura ingenii plenior arte canam.
 69 Evicti populi confectaque bella legentur,
 70 et Malatestarum gloria avita domus.
 71 Etruria ut media victor Sigismundus, anhelus,
 72 Barbaricae gentis signa fugarit equo.
 73 Solus ut invasae Italiae, Latioque cadenti
 74 praevalida fuerit auxiliatus ope.
 75 Solus ut Alfonsum Tyrrhena parva furentem
 76 pressit, et ambiguo fugerit ille mari.
 77 Jamque videbuntur celsis pendentia tectis
 78 parta tua nuper clara tropaea manu.
 79 Hocque brevi carmen caesum, sculptumque tabella
 80 ipse tuas faciam pendeat ante fores :
 81 "Hic Malatesta sedet solio Sigismundus eburno,
 82 barbara qui auspiciis contudit arma suis."

IN LORAM PII.

E4_3 v.1 Non est jam tempus lorae, vinacia cessant,
 2 stantque Pii impressa dolia parva nota.
 3 Suspirans bibulus circum sua gaudia frater
 4 quaerit arundineo fallere posse dolo.
 5 Sed cautus pincerna Pii est, suprema notavit
 6 dolia, ne posset suggere harundo merum.
 7 Desperanda igitur lora est, ne posce negata,
 8 lora Pii est : si vis castaneas, dabimus.

AD DOMINUM PAPIENSEM.

E4_4 v.1 Tarda licet veniant calatho mea dona minore,
 2 quod doleas de me, nil, Papiensis, habes.
 3 Cista mihi fuerat sinuoso condita junco,
 4 quae modios caperet semireferta duos.
 5 Hanc mediae ocului sub frondea tegmina sylvae,
 6 ne quis furaci posset adire manu.
 7 Cetosi venere sues, cistaque resecta
 8 foedarunt spurco rumine castaneas.
 9 Quae fuerant reliquae, varius dum confluit hospes,
 10 apposuit gratos ultima cena cibos.
 11 Talia mireris nec me dare prandia ; cum sit
 12 cena suis cari et hospitis haec eadem.
 13 Nunc mihi visa satis parvi mensura canistri,
 14 ut quas larga nequit, det cista minor.
 15 Quae tibi si paucae, nec quot cupis ipse, videntur.
 16 Da veniam : sapiunt et mihi castaneae.
 17 Si loram princeps mitissimus arserit, et tu
 18 castaneas, nobis qui reliqui in nemore ?

DE ACCIELLA.

E4_5 v.1 Venter cum tumuisset Acciellae
 2 septem mensibus et novem diebus,
 3 cepissetque lien parum dolere,
 4 acciri jubet illico obstetricem,
 5 queri fasciolas et apparari.
 6 Sperato puerum editura partu :
 7 mox inter medias manus ministrae,
 8 laxo poplite, crinibus levatis,
 9 Lucinam geminans quater pepedit.

AD GORUM LOLIUM.

E4_6 v.1 Nec quaere unde tibi mea venit epistola, Loli,
 2 nunc nunc umbrosis scripta sub ilicibus.
 3 Tu quoque dum lateri supremi Principis haeres,
 4 errantem sequeris per loca senta Pium.
 5 Sic placuit ; quorum nihil est revocabile, divis ;
 6 causa meae pestis perniciose fugae est.
 7 Sic quia fata jubent, silvis erramus opacis,
 8 Musaque jampridem rustica facta mea est.
 9 Et quamquam Aonides silvas habitare feruntur,
 10 Aonis ad nostrum non venit ulla nemus.
 11 Est studium casses curvae sub margine ripae
 12 tendere, quo pavidae decipiantur aves.
 13 Aut ubi luciferos Phoebus vehit aere currus,
 14 audacem sequimur per juga summa canem.
 15 Sobria vix umquam nobis aurora videtur ;
 16 primo mane omnes ebria turba sumus.
 17 Talis Amazonio juveni fuit usus in altis
 18 saltibus, attonitas exagitare feras.
 19 Nocte lupos errare vagos et tecta subire
 20 cernimus, ac nostris meiere liminibus.
 21 Agmine visuntur media inter prandia cervi
 22 ante ipsas passis cornibus ire fores.
 23 Surgimus e mensa celeres, epulisque relictis
 24 praecipiti ruimus lustra per alta pede.
 25 Irritat ille canem, nemus hic clamoribus implet,
 26 ille alius notas currit ad insidias.
 27 Forsitan umbrosi nemoris quae gratia, quaeris,
 28 et quibus assurgat grandius arboribus ?
 29 Expediam paucis, surgunt juga solis ab ortu
 30 grandia perpetua frondis operta coma.
 31 Dat mare prospectum pars altera, at altera silvas
 32 ostenditque tuas culmina celsa Senas.
 33 Mox tereti excurrunt tractu, clivoque recurvo
 34 partibus hic vallis clausa sit una tribus.
 35 Qua patet, hic sese pluvius licet ingerat Auster,
 36 a longa fractus non nocet ille via.
 37 Convallis media est facilisque ascensus in omne
 38 est nemus, ad summum, qua libet, ire potes.
 39 Hic laurus Phoebos sacra, hic et Jovis ardua quercus
 40 caesaque funereis apta cupresse rogis.

41 Plurima roboribus mediis Cybeleia surgit
 42 pinus, quae latum prospicit alta nemus.
 43 Tum rigidus sterili fugiensque a subare cortex
 44 atque tuae fluxa fronde, hyminaee, nuces.
 45 Hirsutae pendent casumque minantur hiulco,
 46 quacumque incedas, cortice castaneae ;
 47 hic cibus est, haec esca fugae, montanus amicas
 48 fons venae praebet uberioris aquas.
 49 Fistula parva jacit, tenuique siphunculus ore,
 50 quae lavet arentes frigida lympham manus.
 51 Obstrepit assidua pellex Philomela querela,
 52 ad variosque vocat teque Piumque modos.
 53 Murmur aquae, silvae, sonitus, cantusque volucrum
 54 vel superos possent detinuisse Deos.
 55 Huc ego, cum primam leves Aurora quadrigas
 56 exseret, ad silvas tuque Piusque veni.
 57 Cortice adhuc tenero et multum candoris habente
 58 castaneae facient fercula mille tibi.
 59 Atque etiam morsu jamjam matura tenaci
 60 spinoso dabimus stipite mespilia,
 61 quaeque suis pendent etiam nunc vitibus, uvas ;
 62 servata adventu Pergula longa Pii est.
 63 Ficus, adhuc facili quam miscuit incola silvae,
 64 implebit avidos nec subeunda moras.
 65 Ipsa suas etiam montana cacumina partes
 66 aurea cum croceo stipite fragra dabunt.
 67 Atque etiam, ne quis subsit venientibus error,
 68 hoc primo positum limine carmen erit.
 69 Nunc laurus ridete sacrae, ridere cupressi,
 70 et tu, quae placido murmure curris, aqua.
 71 Terrarum Domino, postes et tecta, patete ;
 72 quid potuit majus vos adiiisse Pio ?

AD IAC. PAPIENSEM

E4_7 v.1 Littoris Ausonii placido nascentia tractu
 2 aurea odorato cortice poma sumus.
 3 Surrentina licet paulo majora putentur,
 4 et quae Lucani dat tibi costa maris.
 5 Plus tamen est nobis patriae dulcedinis, ut quae
 6 aequorea Phrygii crevimus urbe Ducis.
 7 Dona urbana sumus, intra pomaeria nata
 8 nec tibi montano mittimur et nemore.
 9 Usus mille tibi, sunt nostri commoda mille :
 10 afficimus nares, ora, manus, oculos.
 11 Sive placet vesci, nihil est jucundius esu ;
 12 cum bona condiri, tum bona cruda sumus ;
 13 seu statuas loculis, loculos ornamus odoros ;
 14 sive manu teneas, stamus et apta manu.
 15 Gratus odor, gratusque color, conviva videre
 16 nos poterit, poterit, si volet, olfacere.
 17 Tum sive in pluteis, sive intra scrinia condas,
 18 tuta opici morsu gurgulionis erunt.
 19 Mittimur argento, quamquam convenerat aurum,
 20 ni solum deceant aurea vasa Pium.

21 Nec lato vehimur calato cistave capaci,
 22 citra dare aliud est quam dare castaneas.
 23 Sed numerum pensare potes, Papiensis, odore,
 24 quodque et grata oculis, quodque etiam et sapimus
 25 tu modo nos retinens, argentea vasa remitte,
 26 delicias ferimus, non tibi divitias.

AD GORUM LILIUM.

E4_8 v.1 Cur ventosa tibi mittamus tubera, Loli,
 2 Nursia quae gelidis occulit in nivibus ?
 3 Dicam, te magno, fatear donare volebam
 4 munere : vel dama, vel grue, vel lepore.
 5 Sed novus exoriens sanctis natalibus annus,
 6 nec dubia exspectat retia, nec laqueos.
 7 Tubera venerunt, placuerunt tubera, cum sint
 8 saepe etiam magnis fercula Caesaribus.
 9 Forsitan ignoras qua sint haec arte paranda :
 10 ignito primum condito sub cinere ;
 11 mox ubi ventoso flatu dant sibila, tolle ;
 12 abrasoque levi cortice sparge piper.
 13 Adde merum, tritumque salem, seu forsitan acetum,
 14 atque oleum, quamquam hoc non probat Apicius
 15 sed sua cuique gula est, spreto Pius ipse Falerno
 16 et lora et crudo gaudeat aquatico.
 17 Sed tamen exacta sint ultima tubera cena,
 18 inflant turgentem sumpta prius stomachum.
 19 Tu cape, quae Jani mittuntur dona kalendis,
 20 talibus auspiciis totus ut annus eat.
 21 Dignum te esse scio donis majoribus, at nunc
 22 non tibi ego munus mitto, sed augurium.

AD EUNDEM

E4_9 v.1 Inter mille tuae pisces et fercula cenae,
 2 si modo salsa placent, sum quoque gratus ego.
 3 Carpere Benaci soleo de fontibus aurum,
 4 unde mihi nomen Carpion esca dedit.
 5 Et magis ut credas, nullis me sordibus usum,
 6 lactibus invenies aurea frusta meis.

AD EUNDEM

E4_10 v.1 Exspectare tuus pluvio me sidere, Loli,
 2 janitor occlusas jusserat ante fores.
 3 Teque ait arcanis intra penetralia rebus
 4 implicitum magni volvere facta Pii.
 5 Villicus interea gemino cum turture venit,
 6 et patuit subita janua pulsa sera.
 7 Nitor, ut ingrediar, pellit manus improba nixum,
 8 et quo turturibus, non licet ire mihi,
 9 sicque tuas doctus mercari villicus aures,
 10 nec pluviam admissus, frigora nec metuit.

11 Exemplo admonitus casses intendo dolosos,
 12 qua volat ad notas turtur et anser aquas.
 13 Utque volant gemini, Veneris tutela, maritae
 14 in casses gemini sic cecidere meos.
 15 Tu ne igitur posthac me extrude, aditusque petenti
 16 sit ; mihi non pandas, pandito turturibus.

LESBIAE URCEOLUS.

E4_11 v.1 Lesbia defuncti patrem visura mariti,
 2 caelari in fondo fecerat urceoli :
 3 inde mero plenum solo ut depleverat haustu,
 4 "Feci, ait, ut videam conjugis effigiem."

DE TIRISCA.

E4_12 v.1 Casta sibi tantam ne sola Lucretia laudem
 2 vendicet, ipsa sua est usa Tirisca manu.
 3 Ambae aetate pares, non dispar causa, sed unum
 4 illa sibi vulnus fecerat, ista duo.
 5 Ergo magna suum, te Principe, Roma pudorem
 6 nunc , Pie, tam sanctum, quam fuit ante, tenet.

AD PIUM.

E4_13 v.1 Desine mirari piceas vanescere nubes,
 2 et croceum toto surgere in orbe diem.
 3 Terrarumque Pio caelique potentia cessit :
 4 perguit, habet solem, dormit, habet nebulas.

AD GORUM.

E4_14 v.1 Ad lapides cur me ferrataque saxa remittis,
 2 Gorre ? Pii auxilium postulo, non lapidis.

DE BOMBARDA MACHINA BELLICA.

E4_15 v.1 Rumpere quae videor sonitu victoria caelum
 2 cumque suis muros turribus ejicere,
 3 arma juvo, tueorque Pii : velut erigit ille
 4 voce bonos, ictu sic ego sterno malos.

AD ALEXAN. MIRABALLUM.

E4_16 v.1 Poscis, Alexander, subitas me reddere grates,
 2 pro tantis factis paucula verba Pio.
 3 Nil est hoc aliud, quam tete exsolvere verbis :
 4 qui tacet, hic censet, non satis esse loqui.

AD ANDREA PRATENSEM SCULPTOREM.

E4_17 v.1 Aere Pium, Andrea, caelas Pratensis et auro
 2 vivo ut credatur vivus in aere loqui.
 3 Sic oculos, sic ora trahis, numerantur et anni,
 4 quos notat artificii ruga magisterio.
 5 Certa manus, quae nec tenuis vel linea fallat,
 6 quaeque ipsum posset vincere Pyrgotelem ;
 7 ars tamen, heu, manca est, umbrasque effingit inanes,
 8 nec summi dotes principis illa capit.
 9 Quippe animum invictum facundaque pectora nullo
 10 nec tractu potuit sculperere docta manus.
 11 Tu tamen es dignus, cui prospera vota precemur,
 12 si minima effingis, maxima cum nequeas.

AD CARDINALEM PAPIENSEM.

E4_18 v.1 De Tiburtina, quam nunc Pius erigit, arce
 2 quid vulgus tota sentiat urbe, rogas.
 3 Esse Pium mitem, nec tam punisse nocentes,
 4 quam ne quid noceant, consuluisse ferunt.
 5 Cumque sit ingenio Princeps mitissimus, aiunt
 6 Argolici Graiam Tiburis esse fidem.
 7 Nil igitur doleas Tibur, si clauderis arce ;
 8 non Pius hoc, sed tu surgere cogis opus.
 9 At tu quaereris ; scimus, quae causa querelae :
 10 Aeneas Phryx est, Tibur et Argolicum.

DE PIENTIA NOVA.

E4_19 v.1 Quae nova sublimi surgo Pientia colle,
 2 causa mei quae sit nominis, ipsa loquar.
 3 Me Pius ornatam templo murisque refertam
 4 esse urbem voluit, quae fueram oppidulum.
 5 Tecta suae gentis primis in moenibus aedes
 6 tangere marmoreum sidera jussit opus.
 7 Addidit et nomen, lectumque e more Senatum,
 8 urbanos ritus, et nova jura dedit.
 9 At vos, vicina quae surgitis oppida terra,
 10 invidiae nihil est ; nam genui ipsa Pium.

DE ARPINO

E4_20 v.1 Cum petere Arpini bello Pius arva juberet,
 2 huic uni, dixit "Parcito, miles, agro".
 3 Indignum venia cunctis censentibus, etsi
 4 Arpinum indignum, dignus, ait, Cicero.

ALEXANDER AMANS

E4_21 v.1 Quem neque Persarum gentes tenuere, nec Indi,
 2 nec vagus Oceanus Caucasiaeque nives.

3 Solus amor de me, victa Babylone, triumphat,
4 castraque captivae dat mea Bersabeae.

POMPEIUS AMANS.

E4_22 v.1 Nemo Asiam et Memphim laudet, nec Pontica bella
2 Cappadocas reges Armeniosque duces.
3 Nam procul a patria Phariis sum captus ab undis :
4 Julia sic flammis coeperat ante domi.

PERSEUS AMANS

E4_23 v.1 Desine mirari versas in saxa figuras,
2 et meus in caelum quod penetrarit equus.
3 Plus deus hic potuit nigrae servire puellae,
4 et summo natum me Jove fecit amor.

HERCULES AMANS.

E4_24 v.1 Monstra licet totiens terraque marique fugarim,
2 senserit et vires Styx violenta meas,
3 et tulerim tergo caelum, superatus amore,
4 inveni caelo quod gravius premeret.

VULCANUS.

E4_25 v.1 Claudus eram, Maia genitus magnoque Tonante,
2 sed pepulit claro me mea forma polo.
3 Nam pater, ut prolem deformem et inertia vidit
4 membra, negat natum Jupiter esse suum.
5 "Indignus caelo varieque nitentibus astris
6 hinc, ait, in saltus effuge Lemniacos."
7 Meque recusantem patriis excedere tectis
8 sublimi abreptum cogit abire manu.
9 Forma nimis pretio est, ultro suffertur ad astra ;
10 Phryx puer ipse Jovis filius ejicior.

AD CARDINALEM PAPIENSEM.

E4_26 v.1 Non ego, quae molli spatietur purpura lecto,
2 nec bibere auratis posco toreumatibus,
3 utque auro intextis radient laquearia gemmis,
4 et testidunea conspicer in camera.
5 Neve peregrinis veniant albastrica terris
6 saxa vetustatis conscia Memphiticae.
7 Stat mihi pressa domus, vel nullo marmore fulta,
8 tofius aut variet limina sola lapis.
9 Umbra mihi sordet vani Papiensis honoris ;
10 plena det (haud curo) quas mihi mensa dapes.

DE PATEFACTIONE ALUMINIS ET ARGENTI.

E4_27 v.1 Esse tuos caelos tantum qui dixerit, errat,
 2 deque Pii longe fallitur imperio,
 3 ipsa etiam, quod habet, tellus tibi contulit, et se
 4 praebuit eruptis prodiga visceribus.
 5 Parte alia raucum aes, aliaque excussit alumen,
 6 datque alio argentum tertia vena loco.
 7 Abdita telluris gremio haec latuere tot annos,
 8 et soli Domino nunc patuere suo.
 9 Tu, quod nunc auri restat, ditissima tellus,
 10 ne furti rea sis : hoc quoque redde Pio.

AD EUNDEM.

E4_28 v.1 De Papiense meo quid sentio, saepe rogatum
 2 respondi : Deus est, non Papiensis homo.
 3 Hocque Deo major quod fumo tangitur ille,
 4 huic vivo semper aestuat ara foco.
 5 Munera si faciant Divos et grandia dona,
 6 quaeque hominum generi distribuuntur opes,
 7 quis majora dedit, cujus praesentior ara est,
 8 quove alio nobis de Jove spes melior ?

AD EUNDEM.

E4_29 v.1 Lucensis fueras, nunc es Papiensis, adhucque,
 2 cum mea fulgebunt sidera, major eris.

LIBER QUINTUS

AD CARDINALEM PAPIENSEM.

E5_1 v.1 Ille tuus stella natus, Papiensis, iniqua
 2 Campanus grandis nomine, parvus ope,
 3 ille tibi de se, quanto licet ore, fatetur,
 4 ante oculos nudans vulnera quaeque tuos.
 5 Haec partim fortuna tulit, curamque moratur,
 6 partim multa tua facta fuere manu.
 7 Ipse meam primus solvens e litore puppim,
 8 depuleras cursus in maria alta meos.
 9 Conjectum in fluctus dubios vastaque procellas,
 10 heu miserum ! Dubiis deseris aequoribus.
 11 In medio pelago peregrinis deseror oris,
 12 unde nec ut properem, cerno, nec ut redeam.
 13 Missus ad incultos Calabros, Onagria regna,
 14 Arcadicis fiam tensior auriculis.

15 Atque illic utinam liceat consistere, sed me
 16 sanguineae extrudunt Martia turba manus.
 17 Heu quanto utilius nobis meliusque fuisset,
 18 intonsum premeret si mitra nulla caput.
 19 Quid nunc pendentes circum sacra tempora cristae
 20 cuvaque deflexo cuspide sceptru iuvant ?
 21 Illic infelix Scythiae deserta videbor
 22 inter et elingues vivere Troglodytas,
 23 Ambraciosque sinus Ioniaque aequora cernam,
 24 Scyllaea forsane deperiturus aqua.
 25 Dextra Tarentinos ostendit, laeva Sicanos,
 26 litora Tyrrheno vix bene nota mari.
 27 Scilicet in medio canibus succincta nefandis
 28 evomit assiduas ore Charybdis aquas.
 29 Non illo transire rates, aut humidus Auster,
 30 aut Scythico veniens substinet orbe Notus.
 31 Sed fac posse viam terrave marive patere,
 32 impediatur longum ne ferus hostis iter.
 33 Sedes ingenii alta mei vel tota peribit ;
 34 vel vires certe supprimet illa suas.
 35 Eoo rugosa venit de litore, sed fit
 36 Cantabrico sterilis carica in Oceano.
 37 Non eadem tellus fert omnia, mel parit Hybla,
 38 excrescit laetas Gargarus in segetes.
 39 Dant Arabes cassiam, Panchaia tura Sabaei ;
 40 Hebrus Bistonis est memorandus equis.
 41 Imbellus Syrus est, mollisque ad proelia Phoenix ;
 42 Sarmata finitimis acer Iapydibus.
 43 Ingenia e caelo veniunt sublimia Tusco,
 44 sed Calabro fecit languidiora solo.

EPITAPHIUM NIC. STROZE FLORENTINUM

E5_2 v.1 Hic Nicolaus humor Strozus, Florentia Romae
 2 succenset ; vitam haec abstulit, illa dedit.
 3 Nec queror an poteram nasci feliciter ulla,
 4 aut ulla in terris sanctius urbe mori.
 5 Cetera, ne dubita, sumpti mihi ; munde valeto.
 6 Quis cupiat nasci, stare, mori melius ?

AD CARDINALEM PAPIENSEM.

E5_3 v.1 Eripe Scyllaeo tu me, Papiensis, ab aestu,
 2 ne ductu videar naufragus esse tuo.
 3 Cum habeas multos, in quos tua maxima confers
 4 munera, servatus non tibi vilis ero.
 5 Quid viridi mixtas lauro mirare cupressus ?
 6 Hic gemini speciem Numinis ortus habet.
 7 Phoebus amat lauros, Phoebi soror alma cupressus,
 8 juris in hoc horto nil Deus alter habet.
 9 Aurea nonne vides cinctae simulacra Dianae,
 10 ut medium teneant conspicienda locum ?
 11 Ordine stant nymphae, jaculo pharetraque timendae,
 12 vixque tegunt nudum pallia rara femur.

13 visitur ad laevam pileo Faustina decoro,
 14 elapsa ad dextram tempora plorat anus.
 15 Innumeri post haec picti spectantur amantes,
 16 praecipue quorum gloria nomen habet.
 17 Herculei, dominae jussu, nent stamina fusi,
 18 et durum cingunt mollia sarta caput.

AD CARDINALEM PAPIENSEM.

E5_4 v.1 Ut vafer incoeptas Solimannus compleat aedes,
 2 patroni assumit nomina Dalmatici.
 3 "Acturus causas, turba praecinctus agresti,
 4 ad me, ubi pransi eritis, cras veniatis", ait.
 5 Ut veniunt, latam hunc summam ad fastigia pelvim,
 6 saxa humeris alium grandia ferre jubet.
 7 Serra alios, et marra alios exercet iniqua :
 8 mox incenatis : Ite , ait, ite domum.
 9 Cras parete tamen : post prandia litibus hora
 10 esse solet ; pransis nulla terenda mora est.
 11 Cum redeunt : Feriae, inquit, agi vetuere, Latinae ;
 12 interea fodite hic, justitium est hodie.
 13 Producit causas, obscuraque nomina miscet,
 14 et quacumque potest, obiit arte moras.
 15 Hoc Scotus fuerat, hoc lusus Hibernicus astu,
 16 parva nec in multos est data cena dies.
 17 Advertit Scotus, succenset Hibernicus ; ergo
 18 clam tacita asportant, ferrea quaeque manu.
 19 Dalmata tu marram furaris, Hibernice ferram,
 20 et trocleam Scotus surripit et terebrum
 21 sic prope confectas sine culmine deserit aedes,
 22 et nuper servens, nunc male cessat opus.
 23 Hanc tu cessandi causam , Papiensis , habeto :
 24 haec ratio est cur non amplius aedifices.
 25 Dalmatici redeant nulla mercede clientes,
 26 dandaque sint nulli prandia, surget opus.

AD PIUM LOQUITUR VACCA.

E5_5 v.1 Non ego sum quae te puerum, Pie, cornibus olim
 2 vacca Pientinis collibus impetiit.
 3 Fune tamen laqueoque gravis sine crimine plector,
 4 candida ab immiti tracta juvenca manu.
 5 Sed tamen hoc gratum est, quoniam mihi aratra negarunt
 6 fata, quod ad mensas sum, Pie, missa tuas.
 7 Ad mea non mallempetulans armenta redire,
 8 flectere vel magnos hostia caesa Deos.

AD EUNDEM

E5_6 v.1 Ampla crumena mihi, nummi, Pie Maxime, desunt.
 2 Accipere in promptu est, sed dare difficile.
 3 Argentum nuper dederas mihi, nunc peto plumbum ;
 4 maxima tunc dederas, da, Pie, nunc minima.

AD EUNDEM.

E5_7 v.1 Pondere dum premeris gravi, Pie Maxime, rerum,
 2 imperiumque tuo vertitur arbitrio.
 3 Esse aliquid poterit, quo sarcina tanta levetur,
 4 nec gravis assiduas conterat ansa manus.
 5 Hoc aliquid jocus est, Musae hunc peperere loquaces,
 6 laxet ut obsessum mordica cura jecur.
 7 Bello etiam tuba rara ferit clangoribus auras ;
 8 Aeacidae ancipiti Marte petita lyra est.
 9 Jupiter audaces bello Titanidas urgens
 10 tympana defecti jussit adesse Phrygis.
 11 Sic tibi, dum Gallos vincis, totaque fugantur
 12 Italia, in Turcos dum procul arma paras,
 13 dumque Austro Hesperios placas, Zephyroque Britannos,
 14 germanumque suo se petere ense vetas,
 15 deque tui gestis dum mille volumina surgunt,
 16 praeclarumque facis testis et auctor opus,
 17 tunc tibi Campanus versu lusurus amico,
 18 qui te onere in tanto sublevet, aptus erit.
 19 Tempore si ludam, poteris permittere, sin sim
 20 improbulus, facile est pellere et improbulum.

DE FANO.

E5_8 v.1 Fanum Fortunae per tot vix proelia victum,
 2 militibus terra, classe premente mari,
 3 a quovis alio potuit fortuna tueri :
 4 te tua solius vincere fata Pii est.

DE BELLO PII.

E5_9 v.1 Jam Pius, Eoos bellum moturus in hostes,
 2 innumeris armat classibus Ionium.
 3 At nos qui in Turcas, quamquam procul, ire jubemur,
 4 sub tanto stultos quid piget ire duce ?
 5 Ducimur ad bellum, non mittimur, aurea Lunae
 6 praecedunt nulla cornua victa manu.
 7 Remigibus numeris dubia nec classe vehemur,
 8 barbara Romanas jam stupet unda rates.
 9 Tum mater vinci natum Victoria nolet :
 10 ut nuper terra sic modo vincet aquis.

AD ALEXANDRUM MIRABALLUM.

E5_10 v.1 Martis Alexander titulis et laudibus aequas
 2 Pellei ut nomen, sic quoque gesta ducis.
 3 Ille sed imperium solis extenderat armis ;
 4 armis extensum legibus ipse tenes.
 5 Hoc magis est pulchrum, totam quam Persida bello,
 6 Bactra vel extremos vincere Gangaridas.

7 Latus at quanto patuit Macedonibus orbis,
8 Sfortiadum tanto justius imperium est.

AD CARDINALEM PAPIENSEM.

E5_11 v.1 Sunt mihi, qui fuerant, vultus, est robur et ille
2 pristinus et vivo lucidus ore color.
3 Evigilant ridentque oculi, latebrasque relinquunt,
4 stantque genae, et tonsa tempora aperta coma.
5 Instaurata graves implerunt crura lacertos.
6 Nec tantum rigida nunc ego pelle tegor.
7 Ossa latent, nec jam costae numerantur et artus,
8 nec cadit ardenti concita vena face.
9 Unguibus extremis rediit, candorque nitorque ;
10 vivo, loquor, valeo, sumque quod ante fui.

AD EUNDEM.

E5_12 v.1 Quae venit Hyblaeo condita cucurbita melle,
2 a Domina nunc nunc est mihi missa mea.
3 Ipsa suis manibus patulos extendit in orbes,
4 et misit nobis ipsa suis manibus.
5 Impressitque notam cistae, brevibusque tabellis
6 ornavit munus cauta puella suum.
7 Atque haec, aestivis utare caloribus, inquit,
8 ignivomis cum Sol flammeus ibit equis.
9 Hans tu si vitrea sitiens insuderis unda,
10 ardentem exstinguent frustula parva sitim.
11 Est ita et experior : jam nunc abiere calores,
12 quando meae recreor muneribus Dominae ;
13 scire quis hoc possit, dederit si basia cistae,
14 atque hanc collecto presserit in gremio ?
15 Quis, si etiam dulci dederit mandata querela,
16 et dulces etiam ruperit in lacrimas ?
17 Nunc partem exiguam mitto tibi muneris hujus
18 ut Domini fiat, quod fuerat Dominae.
19 Illa mei (nec me pudeat tibi vera fateri)
20 imperium quondam, nunc Papiensis habet.
21 Saepe rogant multi quid sit mihi moris, et unde
22 perstet in extremis sic mea flamma locis,
23 inque meos veniat toties Suriana recessus ?
24 Quantum iter emensus, tam mihi crecit amor,
25 sic Paris Oenonem Phrygia dum deserit Ida
26 quamvis ardebat, languit ille cito.
27 Et vagus Aesonides lacrimis discessit abortis,
28 Lemniacis spectans rupibus Hypsipylen.
29 Sic quoque Titydes, Trojae dum moenia pulsat,
30 conjugis oblitus creditur esse sui.
31 Quem Circes latuere doli, cur cognita non est,
32 ultra sui flammis Deianira viri.
33 Atque aliae, quarum disquirere nomina longum est,
34 quae de se oblitos ingemuere viros.
35 Quid morem appellant ? Temeraria nomina rebus
36 adjiciunt ; non mos sed ratio ipsa mihi est.

CARD. SPOLETINO DE CINERIA

E5_13 v.1 Sunt me qui longe et metas excedere dicant,
 2 quod fusa in campos et spatiosa vagor.
 3 At tu, cui mittor , Princeps Bernarde, severo,
 4 si placet, excutias omnia iudicio.
 5 Nil positum invenies, quod non posuisse deceret,
 6 nec feror excussis garrula limitibus.
 7 Viribus accusator, laudari copia debet,
 8 perlongi exurgens fontibus ingenii.
 9 Quis longum appellet, cui constent omnia recte,
 10 sive sit ille equus, aut sculpta figura manu ?
 11 Arboris illa placet, quae sit spatiosior, umbra ;
 12 vix aliqua est parvis gratia corporibus.
 13 Plurimus undoso quaeretur in aequore piscis,
 14 fontis et exigui despicientur aquae.
 15 Non capit ingentes fruges contractus agelli
 16 terminus, in lato crescit acervus humo.
 17 Quicquid habet pauper, tenuem congessit in arcam,
 18 ostentat magnas quis, nisi dives, opes ?
 19 Sunt etiam leges et jura veterrima certa
 20 quae qui praeteriit, non bonus actor erit.
 21 Ut cum Patronus causam suscepit agendam,
 22 perfidus est, leges ni ore tonante ferat.
 23 Atque oculos atque ora ferox proelia miles,
 24 et quacumque potest parte ferire, ferit.
 25 Inculcatque premitque hostem telumque retorquet,
 26 ingeminatque uno vulnera mille loco.
 27 Sic mihi, dum pugno, late dum spicula mitto,
 28 tentanda et jaculis cuncta fuere meis.
 29 Qui me igitur longam videas nimiamque putaris,
 30 hanc tu praecurtis auribus esse putes.

CARDINALI PAPIENSI.

E5_14 v.1 Abstuleras cenam, promissa cyclade, quali
 2 tecta Venus fuerat, cum stetit ante Parin.
 3 Incenatus eo, nudus quoque cyclade mitte,
 4 qua Paris Idaeam praespiciat Venerem.
 5 Hoc si non placeat, Papiensis, mox mihi cenam
 6 redde, sed hanc, qualem callidus abstuleras.
 7 Sint cantus, horti, fontes, laureta, puellae,
 8 quaeque potest Phoebus tollere Blanca diem.
 9 Non cutis aut crispa redimet te Brassica fronde,
 10 illa oculis fuerat cena, sed ista gulae est.

AD EUNDEM.

E5_15 v.1 Pro cena mihi cycladem dedisti
 2 non tela tamen Viterbiensia,
 3 nec quam Puteoli ferunt propinqua
 4 docti texere molliter Sibylla,

5 verum quae Oceano veni Britanno,
 6 sive ex Cantabrico, queas ut uno
 7 flatu milia ventilare septem,
 8 qua victam putet esse se paremque,
 9 desperet licet obstinata Arachne.
 10 Tum ne verba dari mihi putarem,
 11 te te tu subita manu exuisti.
 12 Est, est hoc, Papiensis, arbitrari
 13 non verbis opere esse liberalem.

EUNUCHUS SECTUS.

E5_16 v.1 Qui mihi succidi puero ferus inguina jussit,
 2 uxori invidit, vel magis ille mihi ?

AD CARDINALEM PAPIENSEM.

E5_17 v.1 Esse tibi semper stomachum, Papiensis, eundem,
 2 atque eadem semper poscere te video.
 3 Frustra ego nunc haedis fraudatis ubera mulxi,
 4 accusatque meas , cum sitit, agna manus.
 5 Frustra caseolos misi tibi ; carmina dicis
 6 malle ; dedi totiens carmina, nec satur es.
 7 Saepe dedi, nec pressa fames, nec poscere cessas.
 8 Num gula, num sitis est, an potius stomachus ?
 9 Obsequar, at quoniam dicis mea carmina malle,
 10 carmina cum mittam, reddito caseolos.

AD EUNDEM.

E5_18 v.1 Dixi me pransum, nec eram : quae, Bardule, causa est ?
 2 Non ego rugosae prandia frontis amo.
 3 Pasce supecilio natos ad verbera servos :
 4 Campanum si vis pascere, pasce oculis.

NUX CASTANEA.

E5_19 v.1 Ventosam qui me censent ventrique timendam,
 2 falluntur : ventos pello ego, non facio.

NUX PONTICA.

E5_20 v.1 Nil mihi durities prodest : si mollior essem,
 2 parceret a tritu petra lapisque meo.

CEPE TRUENTINUM.

E5_21 v.1 Cum tua me poscunt poni sibi prandia de te
 2 quod doleam misererque, excutio lacrimas.

FABA PYTHAGORICA.

E5_22 v.1 Fac mel apponar tergo concocta suillo,
2 Pythagorae dici non valet esse sacram.

BRASSICA CHRYSIPPEA.

E5_23 v.1 Unica Romani quondam medicina Senatus
2 cruda ego perfluvium suscito, cocta moror.

CONCURBITA VENTOSA.

E5_24 v.1 Quod tenui trunco sublimis in aera tollor,
2 nimirum ventus me facit esse levem.

ASPARAGUS MONTANUS.

E5_25 v.1 Meiere vis multum, multum bibe ; qui caret unde
2 me comedat, dicet non caruisse mero.

MESPIBUM DURUM.

E5_26 v.1 Maturo nec me, nec me vescaris acerbo,
2 ne illic, quod taceo, dentibus hic noceam.

ERUCA VENERIS.

E5_27 v.1 Quod passim toto succrescam fertilis horto,
2 haec fuit uxori maxima cura tuae.

PSITTACUS NILIACUS.

E5_28 v.1 Ausonius nasci, quod non mihi contigit oris,
2 garrulitate meos pica fugavit avos.

MERULA SOLITARIA.

E5_29 v.1 Sola feror, cantuque meo mihi blandior uni,
2 sum nigra, sed nascor candida in Achaia.

FULICAE AQUATICAE.

E5_30 v.1 Ne caelum tantum nobis e terra paterent,
2 in mediis etiam nidificamus aquis.

TURTUR VIDUUS.

E5_31 v.1 Sum viduus, fugio coetus ramosque virentes,
2 nec liquido, amissa conjuge, fonte bibo.

COLUMBA VENERIS.

E5_32 v.1 Simplex esse feror, quia sit fraus hostis amanti ;
2 ingenua gaudet simplicitate Venus.

TURDUS OBESUS.

E5_33 v.1 Si me juniperus faciat seu myrtus obesum,
2 deliciae nostri vel tibi ventris erunt.

TURDELA VISCA.

E5_34 v.1 Cum volucres aliae rostro capiantur edaci,
2 ipsa mihi insidias et mea damna caco.

UPUPA.

E5_35 v.1 Rex fueram, sic crista probat ; sed sordica vita
2 immunda e tanto culmine fecit avem.

LANIUS COQUUS.

E5_36 v.1 Fercula quo sapiant, centum Lanio invenit artes,
2 uxori ut placeat, non facit ipse suae.

LIBER SEXTUS

AD KALLIRUM.

E6_1 v.1 Ausus erat media, sicut mihi fertur in urbe
2 Kallirus in scriptis multa notare meis,
3 jejunum versu me dicere, dicere siccum,
4 mirari quod me sic Papiensis amet.
5 Huic ego sic contra : recte, mi Kallire, sentis,
6 fecisti verum, Kallire, iudicium.
7 Quod jejunus ego et siccus tibi, quod Papiensi
8 plenus et undanti censeat ingenio.
9 Siccus apud te sum, nec cena infusus ab una,
10 ad nulla admissus prandia, sum vacuus.
11 Illic non eadem ratio est : me saepe vocatum

12 plenum epulae reddunt humidulum cyathi.
 13 Tu de Campano jam nunc ita, Kallire, senti,
 14 esse trabem vacuo ventre, lyram saturo.

AD JANITOREM CAR. PAPIENSIS.

E6_2 v.1 Dure, quid optatas claudis mihi, Janitor, aedes ?
 2 Stare diu cur me sic facis ante fores ?
 3 Hoc tuus, hoc jussit dominus ? Num sacra parantur
 4 istuc Eleusinae Triptolomaea Deae ?
 5 Prandia non fiunt, arcana domestica cessant,
 6 jam multo somnus nec solet esse die.
 7 Cur mihi suspenso prope tertia labitur hora,
 8 nec sinis ad Dominum, Janitor, ire meum ?
 9 Scilicet hoc nescis quae sit mihi gratia tecto,
 10 nescis Campanum quam Papiensis amet.
 11 Pande fores, aperi, mi Janitor, exere postem,
 12 praebe aditum Domino, non ego multa loquar.
 13 Vana precor ; nescis precibus mens rustica flecti.
 14 Janitor his ipsis durior est foribus.
 15 Pendeat hoc igitur primo sub limine carmen,
 16 officio junctum quo sciat ille meo.
 17 Saepe tuas olim venio, Papiensis, ad aedes ;
 18 saepe tuis jubeor pendere pro foribus.
 19 Si me audire fores occlusaque janua posset,
 20 non opus hic aures esset adire tuas.
 21 Praeteriens possem celsas spectare fenestras,
 22 dicere Salvete, his et mea facta loqui.
 23 Nunc quoniam surdi postes me audire jubentur,
 24 quae dixi, e mutis postibus accipies.
 25 Cur igitur raro veniam, justissima causa est ;
 26 exspectare tuas non placet ante fores.

AD CHERBINUM QUARQUALIUM.

E6_3 v.1 Esse domi mecum dominumque me habere volebas,
 2 Quarquali, veniam da mihi, nolo domi.
 3 Geta, Syrus, Davus, praecurtaque nomina servis
 4 conveniunt : longum est dicere "Quarqualium".

DE MORTE FRASIAE SENENSIS.

E6_4 v.1 Heu quantum fatis concessit Jupiter ! Ecce
 2 invida mors nobis, Frasia, te eripuit.
 3 Vel numquam nasci, vel quae pulcherrima nata es,
 4 debueras numquam, Frasia, posse mori.
 5 Occidis ante diem, nec te tua splendida forma,
 6 nec cari juvit conjugis officium.
 7 Ille tibi postquam persolvit cetera, vultus
 8 effingi mira jusserat arte tuos.
 9 Atque ait "Ut fuerint misero crudelia fata,
 10 tollere te mihi, sic Frasia non poterunt".

DE SEPULCHRO INVENTO ROMAE.

E6_5 v.1 Phidiaca caelata manus praeclara Quiritum,
 2 forsitan et magni Caesaris ossa tuli.
 3 Delituique diu, Latiis immersa ruinis,
 4 excidiumque mihi, quod tibi, Roma fuit.
 5 Effossam nunc dives habet statuitque sepulchro ;
 6 heu quantum artificem prodidit ille meum !
 7 Sic quae Scipiadam fueram, vel Caesaris urna,
 8 ignota obscuri divitis ossa tegam.
 9 Ergo, qui transis, claros miserere Quirites ;
 10 aut rumpe, aut condas, sed meliore loco.

AD CARDINALEM PAPIENSEM.

E6_6 v.1 Pollicitus fueras operam, quod miseris aurum
 2 nulla tibi est a me gratia, posco operam.
 3 Immemor es, longaque tuum spe ducis amicum,
 4 nec scio, quid facias, hoc scio nil facere.
 5 Sin memor es, nec agis, memorem te censeo tanti,
 6 censuerim quanti Bardulon immemorem.
 7 Facturum semper, numquam fecisse negare est ;
 8 cras aliis, mihi heri dixeris, aut hodie.

AD CELLINUM.

E6_7 v.1 Esse tibi videor, nec sum, Celline, superbus ;
 2 haec, Celline, tua est scilicet invidia.
 3 Si me oculis spectes, quibus est spectandus amicus,
 4 intra mensuram dixeris esse meam.
 5 Sin servum esse tibi credas humilemque decere,
 6 te, Celline, tui decipiunt oculi.

AD PALIENUM.

E6_8 v.1 Occuras quocumque loco, quocumque recessu,
 2 grandia facturum te, Paliene, refers.
 3 Si, quotiens dicas, quotiens tua dicta sequantur,
 4 momento fiam dives ego decies.

AD EUNDEM.

E6_9 v.1 Saepe mihi narras, Paliene, quod omnia pro me
 2 dicere vis, etiam, cum sit opus, facere.
 3 Prima parte mihi satis est, satis omnia dicis ;
 4 alterius ratio non ita, nulla facis.

AD CARDINALEM PAPIENSEM.

E6_10 v.1 Num pirata tibi videor, Papiensis, ut auro

2 te redimas ? Aurum non peto, verba peto.
 3 Sed quae nec Zephyrus pluvios nec deferat Auster
 4 verum quae constant pondere firma suo.
 5 Haec si praestiteris nec sis minus ope disertus
 6 quam fueris, cedent omnia, palma mea est.
 7 Illa Pium nobis semper fecere secundum :
 8 heu mihi, non sapit hoc lappa, quod ambrosia.
 9 At tu quando tuum est durissima flectere, lappae
 10 adjiciesque salem, stillaque mellis eris.

AD EUNDEM.

E6_11 v.1 Cum cornice mihi res est, spes fugit in auras,
 2 fractaque Pandorei concidit olla luti.
 3 Jam veteres rediere dies, et praeterit annus,
 4 solum cras illud, quod mihi fingis, abest.

AD EUNDEM.

E6_12 v.1 Tu qui perspecto digitos committis amico,
 2 ad barbam doctus ludere in Anchiala.
 3 Aspice Niliaca quod proluit Ibis in unda,
 4 simia quod saltu lambit in Emathia.

AD EUNDEM.

E6_13 v.1 Cur ita me spectes oculo, Tarsilis, iniquo ?
 2 Campani non est ferre supercilium.
 3 Frons, rugae naresque tuae, tua verba minaeque
 4 pondera vix mecum semideuncis habent.
 5 Utque brevi, quantus mecum sis, indice dicam,
 6 quanti me ipse facis, tanti ego te facio.

AD EUNDEM.

E6_14 v.1 Saepe jubes primo, Papiensis, mane venire ;
 2 da veniam, primo mane ego non sitio.
 3 Cum satur est, surdo stertit super ilice rostro,
 4 sibila contemnens aucupis accipiter.
 5 Ventre sed accurrit vacuo, jejunia nostra
 6 exspectes, tecum tunc, Papiensis, ero.

AD EUNDEM.

E6_15 v.1 Scire cupis qui sint comites mihi, quaeque supellex.
 2 Sunt famuli tres, mulae duae, equi totidem.
 3 Unus, qui mecum celebret pia Festa Sacerdos,
 4 seu septem, seu sex pocula fenus habet.
 5 Et duo, quamquam uni perscissa est culcitra, lecti,
 6 alterius cecidit sponda, duae tabulae.
 7 Gausape, quo tegitur cyathis mea mensa duobus ;

8 cetera si cupias scire, videto domum.

AD ARCHETYPUM.

E6_16 v.1 Si me animum immitem cithara mollire sonora,
 2 Archetype, censes posse, cares cerebro.
 3 Strymoniam ut valeas cantu pervellere rupem,
 4 Roma hodie multo durior est Rhodope.

AD PALIENUM.

E6_17 v.1 Promissos a te centum, Paliene, recordor.
 2 Annus abiit, memini vix habuisse decem.
 3 Ut capiam centum, promittas mille, necesse est :
 4 parte etenim vix tu verus es in decima.

AD CALLIMACHUM.

E6_18 v.1 Callimachi quamvis lippi videantur ocelli,
 2 sitque minor stella pupula Cantaridis.
 3 Plura videt, quam lynx, vigili nec cesserit Argo,
 4 noctem vel media perspicit ille die.
 5 Clarus erit caelo, quamvis sol aspicit umbras,
 6 sitque serena dies, tota videt nebulam.
 7 Cumque alii videant quae sunt tantummodo, suevit
 8 quaeque etiam non sunt cernere Callimachus.
 9 Quidque magis stupeas, oculis non spectat apertis,
 10 ut videat, claudit lumina Callimachus.

AD CARDINALEM PAPIENSEM.

E6_19 v.1 Sera pruinoso quae lecta est una Decembri,
 2 jamque etiam potuit Idibus esse recens.
 3 Est illaesa, viret, dulci non cedit Hymetto.
 4 Quod petis, Arunca venit ab Ausonide,
 5 qua surgens Lirim vestinaque regna Camenis
 6 despicit, et culta moenia Gallutii.
 7 Mittere nil melius nostrae potuere Cavellae,
 8 testata ingenium rura paterna meum.
 9 Illic natus ego, quibus et sim moribus, et quo
 10 ingenio, dulcis indicat uva tibi.
 11 Si quid habet durum, pluvio ne marceat Austro,
 12 durities grata est dentibus illa tuis.
 13 Ergo meas quisquis genialia rura Cavellas
 14 aspicis, huic, dicas, astra favere loco.

DE SENA AD PAPIENSEM.

E6_20 v.1 Aut non haec Sena est, placidis quae fertur Etruscis,
 2 aut lubricae Senam Gorgonides habitant.
 3 Quid stupeam, Sylvine, rogas ? Hic mille puellae

4 nescio quid cordi marmoris injiciunt.
 5 Nec sum, qui fueram , subita mutatus in hora,
 6 ibam Campanus, haereo marmoreus.

AD JOLLAM.

E6_21 v.1 Pactoli glebas a me deposcis, Jolla,
 2 quasque Indus fulvo gurgite volvit opes.
 3 Saecula vivacis poscas annosa Sybillae,
 4 et famam et quicquid non venit ante rogam.
 5 Non ego praesenti possum dare munera dextra ;
 6 sperare est, quicquid dono ego, non capere.

AD PAPIENSEM.

E6_22 v.1 Dum fugerent saltu vulpes et cervus eodem,
 2 obvius et stricto dente veniret aper,
 3 hi laqueo occidere feram, venabula figunt ;
 4 i, venatori dic opus esse canem.
 5 Dum vafram sequitur vulpem cervumque fugacem,
 6 haecque canem gyro falleret, ille fuga,
 7 dentatum offendens silva, Papiensis, opaca,
 8 in dubia hos adigens retia, fixit aprum.
 9 Viribus hunc, illos astu confecerat, aptus
 10 vincere qui pugnent, prendere qui fugiant.

AD IAC. CAR. PAPIENSEM.

E6_23 v.1 Urbe tua fessus tandem discedo, Quirine,
 2 et repeto Adriaci litora falsa maris.
 3 Saxa Juvantinus tumidum qua volvit in aequor,
 4 auctus ad hibernas turbidus amnis aquas,
 5 care vale et nostrum conserva Papiensis amorem,
 6 et dato pro reditu prospera vota Deo.
 7 O titulos habiture meos post ultima fata,
 8 quaeque superfuerint ossa dature tuos.
 9 Fortunam aequasti mecum , rebusque secundis,
 10 quaeque tibi, haec eadem flavit et aura mihi.
 11 Fides ego Pylades tibi sum, tu carus Orestes,
 12 Taurica nec nostram vicerit ara fidem.
 13 Non eadem semper rerum mensura petenda est,
 14 robustum sequitur fessa juvenca bovem.
 15 Sic minor Alcidae magno Poeantius heros
 16 perstitit assiduus per nemora alta comes.
 17 Impar et Aegidae petulanti Ixione natus
 18 ad Stygias una nocte tetendit aquas.
 19 Ardua Titydes Trojae dum moenia pulsat,
 20 inferior potuit Ithacus esse comes.
 21 Sic quoque post cineres, quamquam tua gloria major,
 22 non erit haec titulis invidiosa meis.
 23 Nos quoque in exemplum rari veniemus amoris,
 24 nec potior nostro nomine Damon erit.
 25 Tu facis, invitus Romam Tiberimque relinquam,

26 cogar et abscessu tristior esse meo.
 27 Divellor, tristisque abeunt mea viscera corde,
 28 in partes videor sectus et esse duas.
 29 Qualis erat, tunc cum vidit miseranda jacentem,
 30 Aegialum toto litore Calliope.
 31 Qualis et ultrici defessus lumina dextra
 32 Dircaea genitor ductus ab Antigone.
 33 Una tamen spes est, tanti medicina doloris,
 34 longa quod absenti non sit habenda mora.
 35 Ad paucos me magne dies Papiensis habebis,
 36 vix duo quae Phoebus signa recurrat, erunt.
 37 Cum primum roseos flores et gramina tellus
 38 exeret, et tepido crescet in orbe dies,
 39 jucundamque ferent sulcis gaudentibus auram
 40 per sata Agenorei cornua torva bovis.

CALANDRA CLAUDA.

E6_24 v.1 Ex re clauda vocor ; ne me contempseris, oro :
 2 nam laesi pretium vox mea cruris habet.
 3 Nec bene tam cecini pedibus spatiosa duobus,
 4 quam nunc unius cruris in orbe cano.

EADEM MORTUA.

E6_25 v.1 Effuge, quo libitum est, evadere fata nequibis,
 2 consilium vertit fors stabilitque tuum.
 3 Sic mihi, dum cavea exissem tectoque volarem
 4 libera, crus praendens fregit inepta manus.
 5 Clauda quoque ut placeam, noctem dum mulceo cantu,
 6 Musopicus vocem sentit, et interimit.

AD ANDRONICUM.

E6_26 v.1 Unum animo nos esse duos, Andronice, dicis
 2 corpore, qua de re grandia signa facis.
 3 Amplexare, tenes, stringis, mirare libellos,
 4 collaudas, effers, tollis ad astra meos.
 5 Omnia das, nec das quicquam ditissimus, hoc das
 6 e minima quivis quod dare Phoebe potest.
 7 Expandis linguam, digitos, Andronice, claudis ;
 8 prodiga lingua tua est, dextra avara tua est.
 9 Simus ut unanimes, facito, sint una duobus
 10 vota ; volo quod vis, fac habeam quod habes.

AD CARDINALEM PAPIENSEM.

E6_27 v.1 Ad cenam quoties venio properare ministros,
 2 ereptaque jubes me spoliare toga.
 3 Non placet hoc primum, primo Papiensis adortu
 4 exuor, in praedam visus ab hoste dari.
 5 Mox nudo injicitur genialis purpura tergo,
 6 eque rudi videor milite factus eques.

7 Tunc placeo conviva mihi, spectabilis ostro
 8 gestio, tunc sapiunt fercula, mensa mea est.
 9 Mirantur, qui pone sedent, miratur et ille
 10 qui cyathum docta porrigit arte, puer.
 11 Cenatum subita incurrunt spolianteque ministri,
 12 eripiturque humeris purpura et ipsa meis.
 13 Rideor, illudunt comites, abscedo pudendus,
 14 eque unis epulis bis spoliatus eo.
 15 Vis veniam post hac ? Tantum vestire jubeto,
 16 induar, id jubeas, exuar, haud jubeas.
 17 Nec mirum de me, cujus non una fuerunt
 18 proelia pugnaci consita cum Venere.
 19 Harum etiam speciem mirata Alphonsia conjunx
 20 discessit Niobe, venerat Hippolyta.

AD GENTILEM.

E6_28 v.1 Incidit in nostrum quisquis, Gentilis, amorem,
 2 laudat et inter nos tertius esse cupit.
 3 Accipio, sed tu numerum cur dividis istum ?
 4 Semique vis fiat tertius Argirius,
 5 dividere hunc si vis, sanis ita, divide membris,
 6 arca mihi cedat, sit tuus Argirius.

AD MONTANUM.

E6_29 v.1 Campani gaudet dici Montanus amicus,
 2 tantumdem dici gaudeo et ipse suus.
 3 Convenit hoc, illud non convenit : omnia soli
 4 vult sibi ; amat dici, non amat esse meus.

AD CARDINALEM PAPIENSEM.

E6_30 v.1 Scurra tibi jam sum, non sum, Papiensis, amicus,
 2 mensa patet, clausa est arca, retenta manus.
 3 Olim muneribus mecum praelargus agebas,
 4 nunc risu, nugis, ficubus et talitro.
 5 Sit licet ; incipiam verus jam scurra videri,
 6 meiere jam in vultus, pedere jam licitum est.

DE TERTULO JUVENE.

E6_31 v.1 Arsinoem vetulam juvenis Tetulus amabat,
 2 rugosam et scabris ericiis similem.
 3 Cui reliquus fuerat de tot modo dentibus unus,
 4 unus, namque unus dimidii duo sunt.
 5 Alba comam, putris gingiva, marcida, cana,
 6 annosa, et Pyllo Nestore major anus.
 7 Cur tamen a multis, a me quoque, saepe rogatus,
 8 hanc amet ? Haec, inquit, dat mihi, non recipit.

AD CARDINALEM PAPIENSEM.

E6_32 v.1 Janus abit, celebrat nunc Bacchum Roma : vocatus
 2 non sum, quando cutim vis dare ? Quando fabam ?
 3 Saepe veni, dicis, quamquam te saepe vocari
 4 non jubeo, venies gratior ut subitus.
 5 Non placet hoc, Papiensis, habet meditatio vires :
 6 quod subito exoritur, fluctuat ut subitum.
 7 Caulatam fabamque volo grumumque suillum ;
 8 haec mihi (nam ad casum non placet esse) para.

AD ISCAM

E6_33 v.1 Dum loquimur, medio clausis sermone gravatos
 2 somno oculos, nec te cruribus, Isca, tenes ;
 3 eructasque meri ventos, et in ora tonanti
 4 gutture Lybiacum Chalcidicumque pluis.
 5 Accusas longe vigilata silentia noctis,
 6 non noctu vigilas, sed bibis, Isca, die.

AD OLLUM.

E6_34 v.1 Auro tota domus nitet Ollo, porticus auro.
 2 Unde auri tantum venerit, Olle, scio.
 3 Est tibi mater adhuc, sunt conjunx, filia, neptis
 4 et soror : illa aurum foderat, hae fodiunt.

AD EUNDEM.

E6_35 v.1 Esse tua captum me censes, Olle, culina
 2 neve diem mensa posse carere tua.
 3 Falleris : haud sapiunt tua fercula ; sed sapit uxor.
 4 Illa crocum dapibus miscuit, illa piper.

AD NENCIUM.

E6_36 v.1 Pauper erat, fieri vult dives, cogitat unde
 2 vendidit uxorem Nentius, emit agrum.
 3 Sed dum solus agit stivam, positoque ligone,
 4 sudat ad insputa rastra subacta manu,
 5 mutat vota, petit rescindi foedera, reddi
 6 uxorem moechus ; non negat illa, redit.
 7 Mirantur comites factum, vicinia tota,
 8 quae sit mutata causa requirit agri ?
 9 Nentius, haec, inquit, quod numquam in conjuge fossor
 10 defuit, in villa qui foderem, unus eram.

AD PAULUM II PONT. MAX.

E6_37 v.1 In solio cum stet Paulus, gaudete Quirites,
 2 tanto nemo fuit dignior imperio.

3 Admittit fero, praebet cito, ponderat et dat ;
 4 convenit imperio tam mora, quam facere.
 5 Cunctatur, sed dat ; tardat, sed conficit : ars est,
 6 nec se difficilem reddere, nec facilem.
 7 Tu si quid cupias, oculos tibi sume patronos ;
 8 suppetiis non dat munera, dat precibus.

EPITAPHIUM AUGUSTI.

E6_38 v.1 In Macedum campos vultus jam Caesaris umbras
 2 sum Pater Augustus armis belloque superbus.
 3 Meque meos sensit fugiens Antonius ense ;
 4 quantum ingens mundus, quantum Jovis aethera magni,
 5 tantus in orbe fui, populos et cuncta subegi ;
 6 vix caelum Superis et sidera summa reliqui.
 7 Ille ego sum Poeno patriam quam Marte cadente
 8 sustinui, rapuique feras ex hostibus urbes,
 9 Hispanas armis acies, magnumque Syphacem
 10 perdomui, fractum toties minisque repulsum
 11 Hannibalem, bellisque ferox mihi regna subegi
 12 Punica, et excelsas dirae Carthaginis arces.
 13 Armipotens Caesar mundi domitorque secure
 14 depulit a regno generum populumque potentem,
 15 mortuus a Bruto magnis nunc lucet in astris.

EPITAPHIUM INCERTI.

E6_39 v.1 Quam frivola gaudia mundi !
 2 Quam rerum fugitivus amor ! Quam nomen inane
 3 Magnus in exemplo est cui non suffecerat orbis,
 4 sufficit exciso de fossa marmore terra,
 5 quinque pedum fabricata domus ; quam nobile corpus
 6 exigua requievit humo !

PENTHESILEAE.

E6_40 v.1 Penthesilea furens magno percussa potentis
 2 Hectoris ardore, reges tres nacta peremi,
 3 occubuit Pyrrho, dominarum gloria semper.

ALEXANDRI SFORTIAE.

E6_41 v.1 Sfortia me genuit nota est mea dextra bello
 2 Pieridum cultor Justitiaeque fui.
 3 Nomen Alexander, dedit hanc Constantius urnam,
 4 successor merito filius ipse patri.

DE JUSTO.

E6_42 v.1 Audito Domini adventu, discurrere Justum
 2 huc illuc video volvere multa animo.

3 Pallere, et tremere, et sudare, et poscere longe est
 4 hinc Dominus ? Quaeso, quot, vel ubi, comites ?
 5 Una velle hora multis neglecta diebus
 6 percire, adniti, plurima, nil facere.
 7 Sed Justum injusti quare reprehendimus ? An non
 8 haec eadem est nobis qui melius faciat ?
 9 Forteguera currit, stridet, clamatque, jubetque,
 10 itque reditque decies, et facit ille minus.

DE PLATINA.

E6_43 v.1 Multa meus contra blandos objectat amores
 2 Platina ; scis quare ? Non amat ingenuas.
 3 Nunc perit assidua fellantem Thaida nocte,
 4 nunc ad concubitus insilit Ursa suos.
 5 Inde puellarum stultus mentitur amores,
 6 non sapit hoc lecto, quod lupa, Penelope.
 7 Sed laudem ingenium, mores an Platina damnem ?
 8 Quam bene tu scribis, tam male Platina amas.

AD GENTILEM.

E6_44 v.1 Arva olim Romana canem succinctus et ensem
 2 cum peteres, toto liber eras Latio.
 3 Currere te vidi cervosque aequare fugaces,
 4 et leporem misso prendere in arva cane.
 5 Cena erat in pratis, comites te mille secuti,
 6 cingebant toto margine fontis aquas.
 7 Janua nunc clausa est, veniunt fastidia habendi,
 8 sunt comites multi, scrinia, strator, equi.

LIBER SEPTIMUS

AD CARDINALEM PAPIENSEM.

E7_1 v.1 Linquimus Italiam, peregrinaque regna petuntur,
 2 Noricus argentes qua vehit Ister aquas,
 3 Hercynias inter silvas Geticasque feremur.
 4 O vati parcat Barbara terra tuo !
 5 Cuncta tamen, caelum gelidum patiemur et Arcton,
 6 et glaciem, silvas, flumina, stagna, nives.
 7 Si non totus eam, si pars remanebit amici,
 8 Campanique memor si, Papiensis, eris.
 9 Italiae extremos fines jam sacndimus Alpes,
 10 Ausonio premitur Barbara terra pede.
 11 Non memora hic vestit semper nemorosa catillus,
 12 praecipiti impendent horrida saxa jugo.

13 Gratia non eadem pratis, non vallibus umbrae,
 14 nec sapit hoc Rheni, quod tua Tybris, aqua.
 15 Adde quod et meus est caelo Papiensis in illo,
 16 hoc quaecumque caret, Barbara terra mihi est.
 17 Ante oculos Tibris suavem spirantia flatum,
 18 ante oculos rident Quintia prata suos.
 19 Me gravat Arctous ventis stridentibus orbis,
 20 aestivo gelidas sub pede calco nives.
 21 Surdus et elinguis, nec dico nec audio quicquam,
 22 unus adest sensus, acrius olfacio.

AD EUNDEM DE EQUO SUO.

E7_2 v.1 Legitimos affert maturi Consulis annos
 2 et senior meus est te, Papiensis, equus,
 3 nec se praecipitat cursu, nec in aera saltat,
 4 sed gravis est, penso gaudet et ire pede.
 5 Ponderis est multum, mira est constantia, numquam
 6 moveris hunc, ferias mille licet stimulis.
 7 Occursu tanta est reverentia, quemque salutans,
 8 in terram lapso dejecit ora genu.
 9 Commendat simul et gravitas, et pondus, et anni :
 10 ne nimium impendas, exiguum comedit.

EJUSDEM IN PAULUM II PONT. MAX.

E7_3 v.1 Paulus ubi ad veteris pervenit templa Minervae,
 2 perfusus lacrimis concidit ante deos.
 3 Auxilium in Turcos caelestiaque arma precatus,
 4 non sibi, sed populo poscere dixit opem.
 5 Nunc Superi precibus, nunc nunc intendite, Paulus
 6 non sat habet votis poscere, dat lacrimas.
 7 Corde gemens, udis oculis prostratus ad aras,
 8 ni flexit, lapides credimus esse deos.

IN BALSAMINUM.

E7_4 v.1 Philosophus nuper, quum munera nulla darentur,
 2 Balsaminus ait, plus erit esse coquum.
 3 Quaerit qua dulces epulas, pulmenta, polentas
 4 condiat, aestivas qua gelet arte dapes.
 5 Olfacit, intingit, praegustat, subtrahit, addit,
 6 et modice spargens cinnama, miscet, agit.
 7 Mox ubi profecit fractis cum fasce libellis,
 8 cogitur ad summi Principis ire focos.
 9 Et placet, assurgunt omnes, patet abdita turbae
 10 janua, magnus honos, gloria magna coquo est.
 11 Munera concurrunt, fit dives, turba frequentat
 12 et quod non dederat pagina, dat patina.
 13 Appendens quacumque libros distinxerat ollas,
 14 hae saturum faciunt, illi, ait, esuriunt.

EPITAPHIUM PII I PONT. MAX.

E7_5 v.1 Esse hoc in tumulo Pium secundum,
 2 nec tu crede : Pius petivit astra.
 3 Terris gloria nominis vagatur,
 4 praeterquam ossa nihil reliquit urnae.

EPITAPHIUM FRANCISCI SFORTIAE DUCIS MEDIOLANI.

E7_6 v.1 Dextra mihi imperium peperit, si Caesare quisquam
 2 esse armis potuit fortior, ipse fui.
 3 Altera sed laus est, quod numquam victus in armis
 4 pacatam rexi consilio Italiam.

EPITAPHIUM ANTHONII JOANNIS DE AQUINO.

E7_7 v.1 Militiae et fidei splendor, propriae quoque fautor
 2 et morum cultor, orbe tenete, sui,
 3 claraque progenies generosi miles Aquini :
 4 hoc mea sarcophago membra sepulta jacent.
 5 Antonius mihi nomen erat, pariterque Joannes ;
 6 fama viros peragrat, conspicit umbra Deos.

POST COMPLETUM 'MORETUM' VIRGILII.

E7_8 v.1 Aeterno infelix quicumque est Simulus aevo,
 2 noctes atque dies perdit avarus, inops.
 3 Nec sibi felices animus portendit honores
 4 nec sibi jucundus tempore plaudit amor.
 5 Omnia traxit amor foedandus divitiarum ;
 6 heu fugiant nostros dira metalla lares !

IDEM. D. THOMAE DE ARIETO VATI.

E7_9 v.1 Salve Pieridum columen, lux inclyta vatium,
 2 salve Campanis condita musa jugis.
 3 Pestis acerba, nimis pereas, quae dira jugoso
 4 cogis pro tantum degere monte virum.
 5 O Musae ! O dulces Heliconia turba sorores,
 6 Thespiadesque deae Parnassiumque decus !
 7 Non haec digna tuis loca sunt heu cultibus, heu ! Heu !
 8 Heu dira, heu nimium pestis acerba, fuge !
 9 Parce sacrae vati Cirrhaeae et parcito turbae,
 10 in quibus una salus spesque hominumque Deum.
 11 Non hic caelestes solitus contemnere Divos,
 12 quaeque per infernas sacra vagantur aquas.
 13 Ossa nec e bustis veterum raptare parentum,
 14 sed pius et caeli Numina magna colens.
 15 Ergo si sacros divum venerare poetas
 16 letifer e Musis morbe proculque fuge.
 17 At tu, mi vates, dum tempus et hora dabuntur,
 18 haec patiens sterilis damna repende loci.

19 Scilicet est aliquid dulces audire susurros,
 20 cum primo querulae mane videntur aves,
 21 montanas spectare comas agrosque virentes,
 22 aviaque et dulces per loca ferre jocos.
 23 Praeterea fugisse graves curasque labores,
 24 otia secretis eligere apta locis.
 25 Haec loca blandiloquos condire decentia versus
 26 edere Cypriaco metra jocosa pede.
 27 Ergo inter curas precor, illustrissime vates,
 28 utere Sylvani commoditate loci.
 29 Meque tuo fruere, ut minimo fruerere cliente,
 30 servorum veniam, si patiare, comes.

JORDANO ARCHIEPISCOPO CAPUANO.

E7_10 v.1 Incalui, Martis praesul memorande kalendis,
 2 altera post hiemem crevit amoris hiems.
 3 En ego succensa miserabilis aestuo flamma,
 4 incautoque subit vulnere saevus amor.
 5 Mensis erat, quo nos tepidi capiemur amantes,
 6 Taurus et ardenti callidus axe venit.
 7 Et metuo vires, ne saevius urar, amorum
 8 neu Venus assuetas urgeat alma faces.
 9 Ut caveam, tenerum cupio spectare Tibullum,
 10 auxilium forsitan Delia prima feret.
 11 Delia si renuet, supplex orabo Neaeram,
 12 ultima subsidium, si neque prima, dabit.
 13 Nunc ego te supplex per tela Cupidinis oro,
 14 per Venerem et Veneris arma verenda, faces,
 15 per si quae celebres dudum placuere puellas,
 16 oroque per superas Numina magna Deas.
 17 Sic tibi Di faveant, sic et tua vota secudent,
 18 adveniat cupidus Delia blanda manus.
 19 Sic mihi divitias praebes, sic grandia regna
 20 gratia si per te sola Tibullus erit.
 21 Quemque ubi contigerit senis tenuisse diebus,
 22 ad sacras reducem contuleroque manus.

AD CARINALEM PAPIENSEM.

E7_11 v.1 Mille tuam vellunt aurem, Papiensis, amici,
 2 quaeque rogant, miro conficis ingenio.
 3 Solus ego studium nequicquam operamque requiro,
 4 Campano soli non operosus homo es.

AD EUNDEM.

E7_12 v.1 Si prodesse meis nolis, Tharsilis, amicis,
 2 nec mihi parce, tuam nolo ego amicitiam.
 3 Sin fortasse velis, nec possis, par mihi causa est,
 4 nam volo, sed nequeo stare in amicitia.
 5 Si te igitur cupias verum credamus amicum,
 6 effice quod dignum sit tua amicitia.

7 Hoc si non praestes, valeas, Tharsillis : amicum,
8 qui velit et possit utilis esse, volo.

AD EUNDEM.

E7_13 v.1 Gratia magna tua est, Papiensis, curritur ad te
2 totaque in adventu concita Sena tuo.
3 Qui populi plausus tibi ? quae risere fenestrae ?
4 Quam te conferta est praetereunte via ?
5 Undique spectatum cultae venere puellae,
6 inque tuos oculos tot coeunt oculi.
7 Verum ego dum lateri comes haereo, dextraque dextrae
8 jungitur, excepti spicula, non oculos.

AD EUNDEM.

E7_14 v.1 Apprensum dextra tecum vis ire per urbem,
2 solus et e multis sum tibi saepe comes.
3 Miratur vulgus tantum Papiensis honorem,
4 posseque me tecum maxime quaeque putat.
5 Fallitur, in causa est brevitatis mea : magnus haberi
6 ut possis, comitem deligis exiguum.

AD EUNDEM.

E7_15 v.1 Jamjam cur ita negligens kalendis
2 et secors, Papiensis, exstitisti
3 ut tantum abstulerint kalendae amicum ?
4 Quando illae augurium ferunt kalendae,
5 et totum ordine pollicentur annum,
6 jam toto Dominus futurus anno.
7 Campanum eripuit, tuam fabellam
8 vel solo tibi prandio Ravennas.
9 Illi debeor ergo, qui vocavit
10 memet jam, Papiensis, in kalendis.
11 Tu si vis tua jura vindicare,
12 confunde augurium, novis vacato.

AD EUNDEM.

E7_16 v.1 Non mihi quod dederit natalia dona Ravennas,
2 sed quia non dederis, expedit accipiam.
3 Jejunos jejuna tibi dictabit Homerus,
4 cum vacua est, nihilum fictilis olla sapit.
5 Non est cena satis, poscuntur prandia, mavult
6 esuriens venter rodere, quam legere.

AD EUNDEM.

E7_17 v.1 Jam tot me excludens aditu mensaque diebus
2 ausus es impranso dicere : "Vade foras".

3 Scilicet hoc bellum est, aerataque janua postes
 4 objicit, et tristes frons odiosa minas.
 5 Sum, fateor, victus ; castrisque exutus et armis
 6 ferre tua nequeo tela retorta manu.
 7 Ergo ad te supplex fugio, Papiensis, et oro.
 8 Vivere da, aut pransum litius occidere
 9 ante tuos oculos liceat, mensamque venire :
 10 illic servato, aut perduto, sed saturum.

DE BARDULO.

E7_18 v.1 In causa testem nota sibi Bardulus optat ;
 2 cur ita ? Non credit Bardulus ipse sibi.
 3 Sed sapit, et merito testem perit. Integer aure
 4 scit sibi non rectos Bardulus esse oculos.

PAPIENSIS.

E7_19 v.1 E tota Papiensis urbe lectos
 2 convivas habet omnibus diebus
 3 et dat fercula mille, vina mille.

IN DIE CORONATIONIS PII.

E7_20 v.1 Candida lux faustusque dies et tertius annus,
 2 quo Pius imperii culmina coepit adest.
 3 Nunc virides lauri nitidum mihi limen opacent
 4 textaque virginea pendula sarta manu.
 5 Quicquid habent colles et prata virentia florum,
 6 spargat humum aut cultos pendeat ante lares.
 7 Surge, age, nocte viam medio quae flectis Olympo,
 8 caelestem complens aurea luna crucem.
 9 Ante oculos ponare meos, meliore videnda
 10 parte domus, ulla nec violanda manu.
 11 Signa tuebuntur modici penetralia vatis,
 12 signa tuebuntur Piccolomina fores.
 13 Invide quid spectas Lunaria cornua summi
 14 principis ? Hic rerum significantur opes.
 15 Zonae quinque secant orbem, quinque aurea Lunae
 16 cornua, venturi signa fuere Pii.
 17 Cujus opes essent caelum terraeque futurae,
 18 quicquid et in vastis gignitur aequoribus.
 19 Di bene, cui tanta est facundae gratia linguae,
 20 tantaque praestandis gloria muneribus.
 21 Cujus eunt animi rebus seu pace gerendis,
 22 seu bello, quales postulat imperium.
 23 Tu, nova lux, redeas, tantos augenda per annos,
 24 Cumanae ut superes canitiem vetulae.

EPITAPHIUM CALIXTI III PER PAPIENSEM.

E7_21 v.1 Xatina me civem, me clara Valentia patrem,

2 me quoque Pontificem maxima Roma tulit.
 3 Calixtus dictus sum tertius. Arma paravi
 4 in Turcos, cessit perfida turba cruci.
 5 Cardineo a nobis ornatus munere, busto hoc
 6 nostra Rodericus condidit ossa nepos.
 7 Vive Deo, plebs sancta dei, caelestia quaere :
 8 vita hominis vapor est, gloria nostra cinis.

CAMPANUS PAPIENSI.

E7_22 v.1 Gesturus veni complura negotia Romam ;
 2 octo dies jam sunt, egimus esse nihil.
 3 Sic tuus interea Campanus ad omnia mancus
 4 desiit esse sui juris, ut ante fuit.
 5 Non exauditur, quamquam proclamat Apollo,
 6 rumpitur, ut praestet, vel tacuisse mihi.
 7 Non venit hora potens ; votorum sidera nostra
 8 fulgebunt illic, cum Papiensis eris.

PAPIENSI.

E7_23 v.1 Accitus venio, venientis singula desunt,
 2 praestet in ambiguo vivere ut ante domi.
 3 Non toga, non panis, non hordea, non quoque fenum
 4 suppetit, ut vivam haec omnia habenda mihi.
 5 At tu fortunae cui pendet sarcina nostrae,
 6 dum potes, hoc oneris deme, benigne, manu.

PAPIENSI.

E7_24 v.1 Quaero, bibas toties cena, Papiensis, in una
 2 et rediviva tibi suppetat unde sitis ?
 3 Invenio causam, pleno lucanica ventre
 4 ardet an in stomacho nobilis esca tuo.
 5 Grata etiam nobis sapiunt lucanica, donat
 6 qualia amatrici proxima terra Aquilae.
 7 Haec mihi donavit partem tibi tradere jusso,
 8 sunt tria : Luca dedit nomen et extra cibum.

DE FALCONE.

E7_25 v.1 Falco meus, quem vos exstinctum fingitis, ad vos
 2 cenatum, ut constet vivere, cras veniet,
 3 vivus, edax, facie tam laetus, possit ut uno
 4 aspectu vivos reddere qui pereant.
 5 Falco quidem vivit ; vivat compluribus annis !
 6 Malim ego vel de me, si optio fiat, agi.

OBVOLUTUS LUTO.

E7_26 v.1 Forte per Esquilias ibam, ludosque Quiritum

2 spectare, ut mos est, ludicra Roma, tuus.
 3 Sed cum caenoso transirem gurgite, totus
 4 in terram lapsus volvor et inglomeror.
 5 Pallia cinguntur pedibus, desurgere caeno
 6 vix queo : sic nobis ludrica Roma dedit.
 7 Incipio jam nunc Epigrammata scribere, sed quae
 8 inspirant sordem naribus atque fimum.

AD SPECTATORES.

E7_27 v.1 Vana quid aspicitis Romani ludrica Patres
 2 et teritis totos, sole calente, dies.
 3 Quam facile hoc ipsum, superest quod ad otia, tempus
 4 impendi poterat non sine laude libris ?
 5 Spectatis ventos vulgique attenditis auras,
 6 quod facitis, nihil est, et perit atque nihil.

DE SULMONA.

E7_28 v.1 Sim licet annorum tot milibus inclyta Sulmo,
 2 et Pelignorum gloria prima ferar.
 3 Nil habui Ovidio majus Nasone poeta,
 4 solus in immensas vel mihi praestat opes.
 5 Aetates abeunt, labuntur regna, sed unus
 6 durat, et in pretio est posteritatis honor.

AD MANTUANUM.

E7_29 v.1 Roma domos amplas omnique ex parte capaces
 2 dat tibi ; cur Agathae tecta minora colis ?
 3 An quia liber agis, curis operisque solutus,
 4 dantur et ad votum quaeque petita tuum ?
 5 An quia Romanae fugiens contagia pestis
 6 infectos homines perniciemque caves ?
 7 Consilium pulchrum est modicis consistere tectis
 8 qui velit, hic parvo corpore sit modicus.
 9 Magnum magna decent : habitare penatibus amplis
 10 te decet, ut constet tegula, sitque modus.
 11 Roma nihil, Francisce, tuo fert alma galero
 12 clarius, et majus te videt ille nihil.

DE TENTORIIS.

E7_30 v.1 Bellica signa sumus, caelo spectamur aperto
 2 invitantque omnes fortia ad arma viros.
 3 Hactenus haec certa semper victricia laude,
 4 ut pacem servent et tueantur, habent.
 5 Pacis ut haec dicas et belli signa vocari,
 6 vincere bella queunt, commoda pacis alunt.

AD PE. CAR. S. SIXTI.

E7_31 v.1 Coctilis Augusti fuerat per saecula Roma,
 2 nunc Sixti faciunt tempora marmoream.
 3 Quantum Agrippa foris Latio clivisque scilinis,
 4 intra Urbem tantum nunc Petrus aedificat.
 5 Duxit aquas Agrippa, Petrus sublimia tangit
 6 sidera : plus caelum est jungere quam sit humum.
 7 Par erat, Augustum socerum vel Petrus haberet,
 8 vel Petrum Augusto fors dederit generum.
 9 Nam de marmorea fieret nunc aurea Roma,
 10 auraeque ex vero saecula nostra forent.
 11 Et tamen iste nepos Sixti majora peregit
 12 et dedit Augusti quem dedit ille gener.
 13 Ergo animo imperium constat, non viribus auri,
 14 plus habet, in pretio qui minus illud habet.

DE SERVO ELIGENDO.

E7_32 v.1 Scis mihi qua, Polydore, potes ratione placere ?
 2 Si quae praescribam praecipiamque, facis.
 3 Lex igitur sit prima : fidem servato, deinde
 4 a domini mundas rebus habeto manus.
 5 Odi mendacem, non possum ferre protervum,
 6 ne tu lusorem crede placere mihi.
 7 Odi qui multum sese mihi jactitat, odi
 8 alterius famam qui lacerando premit.
 9 Displicet indocilis, nimium mihi displicet ille
 10 qui multo semper murmure jussa facit.
 11 Non est quod durum, non est quod litis amantem,
 12 contactum non est invidia quod amem.
 13 Assentatorem non plane diligo, nec qui
 14 desidia fuerit deditus atque gulae.
 15 Quis tulerit famulum, domini secreta volentem
 16 scire ? Quis elatum multiloquumque ferat ?
 17 Fallacem fugio, ceu tartara, denique cultum
 18 ingenuis hominem moribus esse volo.

AD DUCEM URBINI DE AULEIS.

E7_33 v.1 Gallica spectamus rutilo fulgentia in auro
 2 aulaea, in latas ordine passa domos.
 3 Materia ad bellum Trojanum ardensque rapina,
 4 et Paris et patriae natus ad Hector opem.
 5 Quicquid tot proceres multos nequiere per annos,
 6 hoc uno poteris tu, Federice, die.
 7 Nam tot victae urbes, tot oppida capta repente,
 8 ut dicas : longo tempore capta Troja est.

AD COSMUM URSINUM.

E7_34 v.1 Laudari vult, Cosme, Druas quod voce tonante
 2 et Vaticanum compleat et Tiberim.

3 Milleque inflectat discrimina gutturis, Echon
 4 vocali ut credat vincere posse sono.
 5 Magnum est et dignum laudari ; gloria summa
 6 est Druadis : vincit, Cosme, Drua Assyrios.

AD CARDINALEM PAPIENSEM.

E7_35 v.1 Dum repeto, quo te vidit Florentia vultu,
 2 laetaque ut adventu facta fit illa tuo.
 3 Esse deos tecum video, Papiensis, et una
 4 ire tuum Charites ut comitentur iter.
 5 Gratia tanta tibi, tantus favor, agmine longa
 6 venit in occursum Tuscia tota via.
 7 Nec sat erat spectasse semel, properentia vidit
 8 millia praevento terque quaterque loco.
 9 Cantabat juvenes, cantabant quoque puellae,
 10 ipse tuis plenus laudibus aether erat.
 11 Riserunt valles venienti, risit et Arnus
 12 factus ab aspectu gratior ille tuo.
 13 Mox ubi marmoreae portas intravimus urbis,
 14 et sonuit sub equi passibus icta silex.
 15 Occupat hic aditus, altas petit ille fenestras,
 16 alter adit celsae culmina summa domus.
 17 Compita plena viris spectantibus, atria plena,
 18 et quae sublimi stant miniata trabe.
 19 Certarunt studio cives, ingentia missa
 20 munera, plus laudis, plura dedisse fuit.
 21 Atque uno tandem complectar ut omnia verbo,
 22 praestitit haec nihilo, quam tua Sena, minus.
 23 Quare ego te Tuscum, tanta est tibi gratia gentis,
 24 non civem posthac dixero sed dominum.

AD EUNDEM.

E7_36 v.1 Petrioli quaeris quid morbis conferat unda ?
 2 Aestuat hic mediis et fuit aeger aquis.
 3 Saepe licet loti semper, Papiensis, olemus.
 4 Sordes Petrioli non lavat unda, facit.

AD EUNDEM.

E7_37 v.1 Campanum magno, Papiensis, munere donas,
 2 quamvis ad titulos vix faciente meos.
 3 Coccineam flavamve togam donare licebat ;
 4 mittis caeruleam, caeruleam capio.
 5 Gallutium Patria est, patriis ego moribus utor :
 6 gallus, cum desint gramina, ruspat humum.

CAMPANUS JULIO POMPONIUS.

E7_38 v.1 Campano favisse deos, Cirrhaeque puellas,
 2 Juli, ais, intonsa dum fuit ipse coma.

3 Mox ubi mitrato rasi cecidere capilli,
 4 fugisse hunc Musas, deseruisse deos.
 5 Accipe, quid contra dicat Campanus, et ejus
 6 si sapis, exemplo tu quoque rade caput.
 7 Dum sterilem coleret Cirrham siccamque Aganippen,
 8 Campanus sitiit semper et esuriit.
 9 At postquam diti cinxit sua tempora mitra,
 10 propulit ille sitim, propulit ille famem.
 11 Raucus erat cum nudus erat Papiensis, amictus
 12 sindone : cycneos extulit ore sonos.
 13 Pauperis exstiterunt culices, rosa Copa Maronis,
 14 dives adit Lybiam, Pergama regna, deos.
 15 Culta volat tollitque altas super aethera pennas,
 16 serpit humi in tenui sordida Musa toga.
 17 Maeonides vacuo cecinit Ranalia ventre,
 18 bella satur Graios Dardaniosque duces,
 19 et vinosus erat ; nulli saliuncula vocem
 20 fecit pampinei palmitis alta tuba est.
 21 Cum quis Hyperboreis caneret non tibia festis
 22 quaereret, haud vites sunt, Anacarsis, ait.
 23 Sunt Bacchi crotalum, sistrum, lyra, tympana, cornu
 24 et cithara et tremula cymbala pulsa manu.
 25 Ipsa etiam septem quae cantat fistula nodis,
 26 vinoso primum coepit in Anthamyro.
 27 Julius ad potum friget, stringitque gelato
 28 dente nivi similem cum sitis urget aquam.
 29 Contemnunt Musae rodentem crustula, Phoebus
 30 spernit, et a tristi Pallas abit genio.
 31 Calvus, Aricini sordent cui prandia porri,
 32 laetum nec bulbos ore obolente canit.
 33 Non faba duritiem stomacho facit, aut cicer, aut nux,
 34 nec varia est ratio ventris et ingenii.
 35 Dulce canit, qui dulce bibit, Pomponius unda
 36 quam bibit, et Scythica durior est hieme.
 37 Campani ludunt versus carmenque jocatur,
 38 ridet et in rosea Cyclade Calliope.
 39 At bruma feriente nates Pomponius horret,
 40 et cadit attonita frigida penna manu.
 41 Nec tamen est quod quis sacrum contemnat honorem,
 42 sacricoli magni saepe fuere Duces.
 43 Infula Triptoleum Cereris tegit alma sacerdos,
 44 exstiterat magni Caesar uterque Jovis.
 45 Sacraque Niliaci reges fecere nec umquam
 46 hostia plebeia concidit icta manu.
 47 Vatibus haec eadem ratio est quae regibus : Orpheus
 48 tradidit afflatis Orgia Maenadibus.
 49 Et Linus et Mopsus, et qui cecinere deorum
 50 munera curarunt, quos cecinere, deos.
 51 Diis igitur cari vates, Cirrhaeque puellis
 52 mitrati si sint, abjiciantque comam.
 53 Nulla fames. Similes regum laetissima vota
 54 quos colit haec repetet altera vita deos.

AD CARDINALEM PAPIENSEM.

E7_39 v.1 Terga suilla tibi mensam factura bibacem
 2 mittimus octo, decem, si licuisset, erant.
 3 Sed longum, Papiensis, iter, grave pondus et una
 4 sarcina, de summa surripuere duo.
 5 Addidimus linguas, nec sit Lucanica tanto
 6 ut sitiam quotiens me tua cena vocat.
 7 Sunt tibi parva domi petaso farcimina lumbi,
 8 fumosis quicquid pendet et in trabibus
 9 salsa tuis posthac dapibus Lucanica cesset,
 10 perpetuam faciat ne mihi falsa sitim.
 11 Excitat haec tristes inter praecordia flammis,
 12 utque bibam semper, non bibo quam sitio.

AD EUNDEM.

E7_40 v.1 Rarius ut veniam, mensa lusurus herili
 2 desipique mecum ne, Papiensis, agas.
 3 Tincta Pientini terrent me spicula Bacchi ;
 4 hunc puto qui Lapithas stravit in Eurynomum
 5 fraude etiam mecum non bello pugnat aperto ;
 6 os mulcens, imos vulnerat ille pedes
 7 neu fugiam repens blando per membra veneno
 8 primum nodosos alligat articulos.
 9 Prandia convivas capiunt ; tua callida mensa est :
 10 haec ex Aeripede me facit Oedipodem.

AD EUNDEM.

E7_41 v.1 Fronte supercilii, pleno rugisque salutas,
 2 et refugo, quali Bardulus est, oculo.
 3 Non sapis, exsurgunt nostrae quoque cornua fronti,
 4 mulcenda est, mensam quam cupis esse fera.
 5 Crede mihi, hoc totum tibi luditur : alea jacta est.
 6 Robore si nequeam, par potero esse fuga.

AD EUNDEM.

E7_42 v.1 Venatum veniet meum Senensem.
 2 Pransum non veniet : crepare non vult.
 3 Non sunt prandia, sed crepationes
 4 quae tu tam varia paras culina,
 5 incautos quotiens vocas amicos ;
 6 haec Sirenula dictat, et <sequere> hanc.

AD EUNDEM.

E7_43 v.1 Aegrotare meus fertur, Papiensis ; adivi
 2 sciturus nomen, sit jecur an stomachus.
 3 Neutrum, aiunt ; dormire ferunt, non convenit, inquam.
 4 Ut simul hic una dormiat et doleat.

5 Acusant nervos, contractaque nocte doloris
 6 spicula, dum caelum suspicit et vigilat.
 7 Est medicina domi se claudere, tradere somno,
 8 ut caelum vitet, vitet et excubias.

AD EUNDEM.

E7_44 v.1 Causa deos tenuit multis haec una diebus
 2 (et tangunt potos jurgia saepe deos) :
 3 Jupiter Ambrosiam, vinum laudabat Iacchus
 4 nec cessit magno Bacchus, ut ante, Jovi.
 5 Sed tulit in calice anthamyrum craterem Falernum
 6 urceolo Chium, Cardiacum cyathum.
 7 Quae cum gustasset Phrygius puer, omnia laudat,
 8 omnia ; sed nihil haec, inquit, ad Ambrosiam.
 9 Mittitis ad Tuscos, qua laeta Pientia, colles,
 10 deque Pientino bina metreta venit.
 11 Jupiter ut vidit : "Fateamur vera, colore
 12 vincimur, Ambrosia non ita fulget", ait.
 13 "gustat utrumque, puer." Gustatum sorbet utrumque :
 14 et " Mordent, ait ; haec dulcius Ambrosia. "
 15 Porrigit inde Jovi ; miratur Jupiter et se
 16 damnat, et ad Bacchum : "Non nego, vincis, ait,
 17 ergo Pientinum mittas , Papiensis, utrumque,
 18 scire licet Bacchus vicerit unde Jovem."

AD EUNDEM.

E7_45 v.1 Vis ut avos atavosque canam geminumque parentem,
 2 jactaque fundata marmora prima domus.
 3 Addis ut a tenera referam tua facta juventa
 4 et quae natali fluxerit hora tuo.
 5 Quae volucres et quot, qua caeli parte volarunt,
 6 et quos vagitur, quas dederit lacrimas.
 7 Quo pede materno primum te exemeris alvo,
 8 primaque gingivis ubera adacta tuis.
 9 Qui fontes lavere, quibus tangentibus illos
 10 et quis lustrali colluit ora sale.
 11 Cui primum risere oculi, quae dentibus ortis
 12 esca prior, quanto tempore mamma data est.
 13 O utinam hoc addas, quotiens, Albulle, cacasti,
 14 illita nutrici quanta saliva manu.
 15 Cum tamen haec poscas una vis omnia nocte :
 16 nox una annosam non capit historiam.

AD GENTILEM.

E7_46 v.1 Nunc Gentilis agit, nil Tusca praesul in aede
 2 fraudavit Musas : coepit et esse miser.
 3 Campanus multo te stultior otia prodit
 4 pristina, non illi est una relicta dies.
 5 Audire agrestes, raucas dissolvere lites
 6 cogitur, et labor est perdere quicquid agit.

LIBER OCTAVUS

IN REDITU E GERMANIA.

E8_1 v.1 Linquo Tridentinas Alpes et Rhaetica saxa
 2 numquam oculis posthac aspicienda meis.
 3 Accipe Campani, sterilis Germania, terga,
 4 accipe nudatas Barbara terra nates.
 5 Ille dies, iterum qui te mihi forte videndam
 6 offeret, extremus sit mihi et ille dies.
 7 Finibus Italiae primis exstinguar, et illic
 8 per Latium condant frigida saxa Manes.
 9 Dicentur Latia mihi verba novissima lingua,
 10 et Latio, qui sim, carmine saxa notent.
 11 At pia si qua manus collectis ossibus urnam
 12 erigat, accensa conjiciatve pira,
 13 hoc precor, hoc caveat ne pars vel quantula nostri
 14 Barbaricum tangat non bene lecta solum.

DE EODEM.

E8_2 v.1 O quotiens dixi, Superi, quibus omnia parent
 2 et quibus icta mea est hostia saepe manu,
 3 reddite me Italiae, primaque reponite terra,
 4 reddite me Italiae, reddite me Italiae.
 5 Nec quem vos Latiis nasci voluistis in oris,
 6 Vindelico exstinguant fata premantque gelu.
 7 Ferre ego nec saevum stridenti sidere frigus,
 8 autumno vix nunc incipiente queo,
 9 nec, refugos mores et grande sonantia verba,
 10 post ortum numquam sobria verba diem.
 11 Audivere preces Superi, felicibus horis
 12 jam feror ; a tergo Barbara terra mihi est.
 13 Nunc aperit caelum, nunc suavem Jupiter auram,
 14 nunc Divum sedes panditur Italia.
 15 Di patrii, salvete, manum date turba reverso ;
 16 Barbarico vates vester ab orbe redit.
 17 Ite in complexum, veteres carique sodales,
 18 pro reditu dentur prospera tura meo.
 19 Et petite, hoc vitae reliquum me vivere dulci
 20 Ausonia jubeant, Ausoniaque mori.

AD PAULUM II DE CAPELLA.

E8_3 v.1 Zaccharina mihi nomen fuit, alba catella
 2 credebam Scythicam vincere posse nivem.
 3 Pontificis Pauli tectis nutrita Secundi,

4 digna cibo sacro, digna sacris domibus.
 5 Hujus ego curas cauda gestuque levabam,
 6 laetitiam pedibus, auribus, ore ferens.
 7 Occubui senio , nec me servare cadentem
 8 Christofori Medicae praevaluere manus.
 9 Ille mihi, quicquid potuit modo, praestitit, at me
 10 absumpsit, fato plus operante, dies.
 11 Cetera concurrunt medicamina ; tempus et anni
 12 fomentum nullis artibus accipiunt.

DE COTURNICIBUS.

E8_4 v.1 Has Venus esse suas voluit, sensere columbae,
 2 murmur agunt, jungunt oscula, se geminant.
 3 Fecit idem turtur ; hunc sic irata coturnix,
 4 in turmam cunctae nos coeamus, ait.
 5 Quoque magis coeant maribus, non abstinet ardor ;
 6 has tu Saturni dixeris, an Veneris ?

AD PAPIENSEM.

E8_5 v.1 Jane, quid inflaris, geminae qui gratia frontis,
 2 vix tu, quod retro est, cernere, ut ante potes.
 3 At plus Maurus habet, oculis tamen ille duobus
 4 et terram, et caelos, et retro, et ante videt.
 5 Collum habet intortum, laeva perspectat ad Arcton,
 6 respicit a dextra per sua terga solum.
 7 Maure, tibi Jano plus est, tua gloria major,
 8 dexter geometra es, dexter et astrologus.
 9 Navita si fias, pelago captabit et auris
 10 dextra, mare an sufflet, laeva, quod astra ferant.

DE PIENTIA.

E8_6 v.1 Urbs nova deque Pio sortita Pientia nomen,
 2 salve, dii aspiciant moenia, dii homines.
 3 Atque aedes salvere Pii fundataque templa,
 4 et sua siqua istis moenibus umbra vaga est.
 5 Illi tu geniale solum, genialia tecta,
 6 ille dedit nomen sceptraque prima tibi.
 7 Hinc mihi communi succrevit gloria fato,
 8 tuque Pio dederas, ut foret ille mihi.
 9 Quae mihi nunc animo consurgunt gaudia, cum te
 10 aspicio, quanta est laetitia et lacrimae !

DE PYRIS PAPALIBUS AD CAR SANCTI SIXTI.

E8_7 v.1 Cortice nos quamquam vincant Phaeacia poma
 2 quaeque ferunt hortis crescere in Hesperidum,
 3 nos multo meliora sumus, duramus in annum
 4 nec brumae gelidis laedimur a nivibus.
 5 Est sapor Ambrosiae siccus, qui stillat Eoo

6 rore, favis multo dulcior, Hybla, tuis.
 7 Cum nos gustasset, Papalia rusticus inquit,
 8 haec pira, et abstinuit, non sua poma ratus.
 9 Mutamus nomen, volumus Petreia dici :
 10 nomine sub tali candidiora sumus.

AD BEATUM PETRUM APOSTOLUM.

E8_8 v.1 Janitor alme poli, claves reserare supernas
 2 infernascque potens ; utraque aperta via est.
 3 Quos placet, et meriti ratio consentit, ad astra
 4 erigis ; et siquis displicet, inde fugas.
 5 Tu Malchum mucrone petis, ne perfidus aures
 6 admoveat, quo sit omnis adempta salus.
 7 Tu mare piscator superas, tu vincula rumpis
 8 ferrea, tu fundas, Petre, petram fidei.
 9 Tu caput ecclesiae, tu firme Vicarie Christi ;
 10 haec tibi perpetuo condita templa fove.
 11 Inter et electos patres turbamque fidelem
 12 nunc Papiensis eat, quod bene vertat iter.
 13 Sic tibi, sic Sanctis placeat, sic omnia fiant,
 14 grata Deo et Matri speret ut ille Deus.

AD PAPIENSEM.

E8_9 v.1 Non venit ornatus phaleris, nec aurea mandit
 2 frena, nec est grandi corpore noster equus.
 3 Sed saltat, flectit se in gyros, currit ut Euris,
 4 inque levi firmum corpore robur inest.
 5 Collectis armis, oculis vigilantibus, aure
 6 exigua, tetrica fronte, sonante pede.
 7 Quos vincit cursus cervos imitante colore,
 8 lustrum aetas, patriae Bistonis, inde ferox.
 9 Tum mitis facilisque manu calcaribus asper,
 10 a Domino, ut dicas, haec didicisse suo.
 11 Parvus equus, parvus Dominus, perlectus uterque.
 12 Fortis uterque, habili gaudet uterque manu.
 13 Odit uterque graves stimulos, in frenis uterque
 14 hoc distant : tardus Dominus, acer equus.
 15 Hunc tibi Campanus mittit, Papiensis, an usquam
 16 liberius donem, gratius accipias ?

COENA FRATRIS PETRI CAR. SANCTI XISTI.

E8_10 v.1 Mille trahis tecum comites, altissime Princeps,
 2 continuatque omnis turba secunda vias.
 3 Visque parem cenam, non hospite ditior illo,
 4 cui brevior flexo poplite lectus erat.
 5 Cum majora tuis numquam convivia quisquam
 6 viderit, et modica est Regia cena tuae.
 7 Accipe, Campanus quantum nunc offerat, et te
 8 invitat, tamen hac conditione, domi.
 9 Vis tibi, quae exacuat dentes lactuca priores,

10 frenet et aestivi tempora solis ? Eme.
 11 Vis, quae longa levi subnixa cucurbita filo
 12 frondosa latitans arbore pendet ? Eme.
 13 Vis etiam, Syria veniunt quae pruna Damasco
 14 Ausoniae haec jam dat fertilis arbor ? Eme.
 15 Vis pepones, dulcesque uvas et sole perustas
 16 flavaque ut Hesperidum poma feruntur ? Eme.
 17 Vis gallina decem quae nondum fecerit ova,
 18 sed teneat primi pignora ventris ? Eme.
 19 Vis Veneri, natoque sacros det mensa columbos
 20 non una hos passim dat tibi turris ? Eme.
 21 Vis tibi ponatur crocea ficedula clune
 22 et perdix cui sit jam grave pectus ? Eme.
 23 Vis addatur et his ales Junonia caudam
 24 mortuaque in gyrum, coctaque verset ? Eme
 25 seu leporem, et strictis frendentem dentibus aprum
 26 seu cervi cupias terga fugacis ? Eme.
 27 Vis veterem et solidam seu sit Lucanica parvam ?
 28 Est etiam vendat qui tibi sumen, eme.
 29 Vis quoque quae veniunt sexta bellaria mensa ?
 30 Haec puer ante fores currite clamat, eme.
 31 Non sapiunt haec nata solo praemollia vina,
 32 sed peregrina placent ? Inveniuntur, eme.
 33 Vis stipulam quae prima focus exsuscitet ignem,
 34 seu sub equis stratum spargere possit ? Eme.
 35 Denique aquam atque salem, mordax seu poscis acetum
 36 vilius aut aliud si tibi desit, eme.
 37 Sic tibi more tuo fiet lautissima cena
 38 et quaecumque petes, cuncta dabuntur ; eme.
 39 Disce igitur, quid sit dives cum pauperis aedes
 40 intras, cum donat vel tibi pauper, emis.

EPITAPHIUM CARD. SANCTI XISTI.

E8_11 v.1 Quisquis iter facis huc, noli contendere, qui sim,
 2 nosse ; brevi nam tu marmore multa leges.
 3 Nomen erat Petrus, minor ordo, Riaria proles,
 4 nutrierat Sixtus quartus, et ipse Ligur.
 5 Ingentes animi, resonans facundia, vultus
 6 gratia, et ingenii maxima dexteritas.
 7 Magnanimo cordi nataeque ad grandia menti
 8 una fuit semper gloria, posse dare.
 9 Defendi oppressos, Musas praelargus amavi,
 10 publicus externis regibus hospes eram.
 11 Scire cupis quantus fuerim ? Dicetur ut olim
 12 pauperiem, sic nunc divitias, tuleram.
 13 Exposita invidiae fuerat mea vita, quod essem
 14 splendidus, et possem tam prope, quam cuperem.
 15 Egi magnifice vitam, nec morte pudendam,
 16 in vita princeps, sanctus in interitu.

AD CARDINALEM SANCTI XISTI.

E8_12 v.1 Unum Roma Petrum loquitur, miratur et unum,

2 omnis et hunc unum praedicat Italia.
3 Est ratio, hic unus Romam nunc sustinet omnem,
4 unus et hic omnem sustinet Italiam.

AD PAPIENSEM MORTI PROXIMUM.

E8_13 v.1 Mors stetit ante fores, digitos pressura minaces,
 2 calva comam, nigras horrida falce manus.
 3 Decedens tristi linquebat sidera nocte,
 4 Campani Stygias umbra petebat aquas.
 5 Phoebus adest, Musaeque simul, mortemque repellunt,
 6 et clamant : nihil hic impia juris habes.
 7 Campanum tenuit Papiensis, nunc habet illum
 8 Petrus ; sub Petri Numine tutus agit.
 9 Cessit et audito Petri quae nomine, nobis
 10 parcere voluerat scaeva, pepercit hero.
 11 Nil veteri, Papiensis, habes de jure, Poeta
 12 sub majore tuus Numine sacra facit.

AD CARD SANCTI XISTI DE CONDITIS FULGINATIBUS.

E8_14 v.1 Dona minuta sumus, numerum metire, precamur,
 2 non pondus ; multa hic non, Petre, magna damus.
 3 Si reputes quot nos simus non quanta, videbis
 4 a quoquam majus vix potuisse dari.
 5 Parva quidem, non pauca tamen : quam Principe dignum est
 6 maxima largiri, tam minima accipere.
 7 Octo licet scombris veniamus, at ordine numquam
 8 viginti poterunt enumerare dies.
 9 Immensum quamquam munus fidissimus in re,
 10 majores animos, qui tibi mittit, habet.

AD EUNDEM

E8_15 v.1 Non ego ad augurium prima haec tibi munera mitto ;
 2 nam statui tecum non dare, sed capere.
 3 Cum totum afficias donis ingentibus orbem,
 4 et capiat larga femina virque manu.
 5 Esse tui poterit, qui det, detractor honoris,
 6 hic tibi, qui capiet, gloria major erit.
 7 Sin facere augurium jubeas, sic auguror, ut tu
 8 me donis, ego te versibus accumullem.
 9 Utque meo celebrer fias, Petre maxime, cantu,
 10 muneribus fiam clarus et ipse tuis.

AD EUNDEM

E8_16 v.1 Petrus ad Iguvios, clari Ducis atria, venit ;
 2 defuerat titulis hoc, Federice, tuis.
 3 Par animus, par ingenium, par gloria rerum ;
 4 quas tu olim bello, nunc gerit ille domi.
 5 Conveniunt etiam, quos parva Faventia mittit,

6 Pesaurumque potens, Ariminumque, Duces.
7 Aut hic Italiae magnis de rebus agetur ;
8 aut haec est rerum summa, videre Petrum.

AD EUNDEM

E8_17 v.1 Promittis post quinque dies, Petre magne, redire,
2 aut etiam post sex, et redis ante duos.
3 Surgere post ortum solis te dicis Eoi,
4 et tota numquam nocte remittis iter.
5 Sic et claro Sole nigris et noctibus usus,
6 quinque dies qui sint, tu facis esse duos.
7 Munera quae exacto spondes te manse daturum,
8 aut anno toto, mox brevis hora dabit.
9 Vos igitur sperate fidem, et praestate vicissim ;
10 quae spondet Petrus post facere, ante facit.

AD EUNDEM

E8_18 v.1 Coctilis Augusti fuerat per saecula Roma,
2 nunc Sixti faciunt tempora marmoream.
3 Quantum Agrippa foris Latio clivisque Sabinis,
4 intra urbem tantum nunc Petrus aedificat.
5 Duxit aquas Agrippa, Petrus sublimia tangit
6 sidera, plus caelum est jungere, quam fit humum.
7 Par erat Augustum socerum vel Petrus haberet,
8 vel Petrum Augusto fors dederit generum.
9 Nam de marmorea fieret nunc aurea Roma,
10 aureaque ex vero saecula nostra forent.
11 Et tamen iste nepos Sixti majora peregit,
12 et dedit, Augusti quam dedit ille gener.
13 Ergo animo imperium constat, non viribus, auri
14 plus habet, in pretio qui minus illud habet.

AD EUNDEM

E8_19 v.1 Aedificat caelo, non terris Petrus, et illic
2 vicinos merito quaerit habere Deos.
3 An potius solis haec regibus acria fiunt,
4 par sit ut hic illis hospes et hospitium !
5 Terra satis non est natae ad caelistia menti ;
6 Petri animos tellus non capit, astra petit.

AD EUNDEM

E8_20 v.1 Tres aliis menses non sunt satis, ire per omnem
2 Italiam, hanc Petrus quinque diebus obit.
3 Aut volat et celeres gestat sub corpore pennas,
4 illius aut animo exigua Italia est.
5 Vix transisse Padum hunc Insubria regna putatum
6 cum venit, incertum non iit an rediit.
7 Pella sui, tum Roma sui pernicia facta

8 Principis ad caelum tollit, at iste volat.

AD EUNDEM

E8_21 v.1 Ire comes nuper sera jam luce volebam,
 2 perque diem et tenebras re Tuder usque sequi.
 3 Sumis iter propere, similemque per omnia vento
 4 non eques assequitur, non pedes ullus equum.
 5 Pegasus hic alter, simili fuit ille volatu,
 6 candidus hic rotus, Pegasus albus erat.
 7 Ille Jovis magni vacuo tulit aere natum,
 8 hic te, quo nihil est majus in orbe, vehit.
 9 An, puto, Achilleae venit de stirpe Thyellae ?
 10 Et Zephyrum cursu praeterit ille patrem.
 11 Destituor, nec te dextra contingere possum,
 12 nec tibi consueto dicere more, vale.
 13 Ne sequar, in causa est cursus tuus, aura videris ;
 14 nec satis est tecum currere, Petre, volas.

AD EUNDEM, DE MULO PARVO DONATO.

E8_22 v.1 Exiguus quamquam sum corpore, viribus acer,
 2 imponi jubeas pondo trecenta, feram.
 3 Per scalas certo scandens penetralia passu
 4 ad lectum potero Principis ire mei.
 5 At tu, cujus onus totus nunc creditur orbis,
 6 me cape ; de parvo gloria magna venit.
 7 Parvus ego, parvus qui mittit, gloria magnos
 8 reddere tam me, quam qui tibi mittit, erit.
 9 Haec maris, haec terrae Jovis est miracula summi,
 10 cum facit e parvis gaudia, et ima levat.

AD EUNDEM ELEGIA.

E8_23 v.1 Desinite, externae gentes et barbara regna,
 2 jactare Ausonium jam periisse decus.
 3 Neu lege, quisquis eris, priscae miracula famae :
 4 nil opus audiri est inclyta facta, vides.
 5 Restituis magnam sic, Petre Riarie, Romam,
 6 ut veteres frustra jam memoremus avos.
 7 Nunc vada Velitras superare Sabatia possunt,
 8 et Latii vincit Caesaris acta "lingua".
 9 Herculis aura fuit Varo conjuncta Monaeco,
 10 una Sabatinis notior ara vadis.
 11 Hic Deus appendi Ligurum pia dona jubebat,
 12 et responsa tremens inde ferebat anus.
 13 Hic cecinit, quondam Ligurum de gente futurum,
 14 qui regat Ausonides altaque regna virum,
 15 priscaque qui revocet veteres ad festa Quirites,
 16 Romanumque petat, Volscus ut ante, forum.
 17 Et majora cavo resonent certamina campo,
 18 et celebrer fiat, quam fuit ante, Tibris.
 19 Non alium, quam te, cecinit de rupe Monaecus :

20 namque sacerdotii jus habet ille Deus.
 21 Te Ligurum de gente satus, te regna salutant
 22 omnia, tu Ausonidum, tu Latiique decus.
 23 Arbor ut in sterili, quamvis sit nobilis, agro
 24 serpit humi, in pingui crescit ad astra solo ;
 25 sic tua, dum latuit Ligurum per litora, virtus
 26 pressa fuit, Romam cum venit, alta patet.
 27 Tu facis ut redeant veteris spectacula Circi,
 28 currat et ad ludos nunc quoque Roma suos.
 29 Proxima currebat puero comitante Sabina,
 30 quae Latium peteret longius, Osca fuit.
 31 Nunc tibi festinat Scythico spectator ab axe,
 32 quasque ibi non vidit, hic stupet ille feras.
 33 Quae fuerat Tuscus fulva miratus arena,
 34 spectatum extremo Cantaber orbe venit.
 35 Adde animum mitem natamque ad munera dextram,
 36 et subitam, si qui forte premantur, opem.
 37 Non auro incumbis, grandes facturus acervos,
 38 sed large possis quo dare, quaeris opes.
 39 In cenasque vocas reges, donantur amici,
 40 per largas populum pascis, ut ante, dapes,
 41 attonitique facis referant tua prandia Galli,
 42 imperium et dicant nunc quoque, Roma, tuum est.
 43 A Jove demissus terris, ne Roma careret
 44 Caesareisque animis Caesareaque manu.
 45 Roma tibi acclamat ; surge hic, mea Musa, canamus
 46 ingentes animos, pectora et alta viri.
 47 Roma tibi acclamat, totus te nominat orbis,
 48 famaue jam toto latior orbe tua est.
 49 Ad Nili venit illa caput, Tanaimque nivosum
 50 extremum Gangem, auriferumque Tagum.
 51 Et terras egressa omnes vicinaque Tagum,
 52 fulmineum jamjam contigit illa Jovem.
 53 Cumque homines vincas, unus potes esse deorum ;
 54 nam magnos fecit gloria sola deos.
 55 Sola coli Ogygiumque Patrem, magnumque Tonantem,
 56 et cui mille aras bellica parma dedit.
 57 Natus es ad rerum curas hominumque salutem,
 58 curaue caelestes haec decet una duos.
 59 Nec deus est aliud praeter clementia facta,
 60 est Deus, et Numen, qui beneficit, habet.

AD EUNDEM

E8_24 v.1 Purpurei qui te donavit honore galeri,
 2 et capiti imposuit praemia digna tuo,
 3 teque animumque tuum generosaque pectora notat
 4 rebus, ut expertus, grandibus esse parem.
 5 Omnia si tentes, praestabis et omnia ; tantum
 6 consilio, ingenio, viribus arte vales.
 7 Ardua tu quamvis vel dura negotia tractes,
 8 re tibi pro minima maxima quaeque putas,
 9 defendis, quorum virtus oppressa laborat,
 10 inque tuo dormit Roma quieta sinu.
 11 Nauta bonus moto nullos timet aequore fluctus,

12 adversosque infer linteae frena mari.
 13 Lora et eques cohibet, laxat, moderatur equumque
 14 incitat, et si qua est obvia fossa, tenet.
 15 Sic tu, quae Romam vexare pericula possunt,
 16 ante vides, quam quis cogitet, ante caves.
 17 Nil potuit majus nec Roma videre nec omnis
 18 Curia, quam frontis praemia honora tuae.
 19 Te genus et mores, te frons commendat amica,
 20 inque oculis quaedam gratia mira tuis.
 21 Sive domi peragis causas, seu templa frequentas,
 22 ire per aprici seu Latii arva placet.
 23 Semper agis laetus, semper jucundus haberis,
 24 te viso gaudent atria, templa, fora.
 25 Invidiae nihil est, nisi quorum pectora livor
 26 urit, et occulta stant nigra corda face.
 27 Quisquis te aut odit, vel non tibi multa precatur,
 28 humanus non est, ebibit ille feras.

AD SE IPSUM.

E8_25 v.1 Dulces versiculi mei jocique
 2 tandem imponere jam modum fabellis
 3 aetas admonet, et severa nugas
 4 explodit Jove nata, colligitque
 5 sese tota sibi, foro nec aures
 6 insani studet occupare vulgi,
 7 nec raucum amplius exit in theatrum.
 8 Jam postrema dies recogitanda,
 9 ad quam currimus, et locanda caelo
 10 spes est nostra ; nihil perenne terris,
 11 caelis omnia. Jam recessit una,
 12 dum vos alloquor, et perivit hora.
 13 Sub Lunae nihil orbe non caducum,
 14 non vanum atque fluens et inquietum :
 15 supra quae teretem vides Olympum,
 16 constans omnia, non senecta canos
 17 spargit vertice, non cavata sulcat
 18 rugis tempora, vomeremque toto
 19 ducit corpore, surripitque vires
 20 occulta quotidie manu, nec aures
 21 surdas obstruit, ejicitque dentes.
 22 Nec telis oculos licet minutis
 23 an se Pallada provocare Arachnes.

AD REGEM FERDINANDUM.

E8_26 v.1 Bellorum fulmen, peperit cui dextera regnum
 2 et virtus nulli cedere, cuncta pati.
 3 Per medios hostes gladio praecinctus et hasta,
 4 rumpere vi, latam ferro aperire viam.
 5 Gloria prima tua est, quantum victricibus armis,
 6 quantum pugnaci stes violentus equo.
 7 Altera non minor est nostrae conjuncta saluti,
 8 quod tu jura soles reddere cuique sua.

9 Ut cum munieris regnum felicibus armis,
 10 illud idem totum legibus esse velis.
 11 Tum pacis, qua tu feliciter omnia vertens
 12 auctor consilio, provide, cuncta geris.
 13 Laudibus accedit laus altera, moenibus urbem
 14 instruis, et regnum est, cernere Parthenopen.
 15 Tot castra, aut pelago media aut surgentia terra,
 16 ut regum dicas regia Parthenope est.
 17 Tum virtus divina tibi est : namque omnia firmo
 18 nexu conservas, officiumque colis.
 19 Quod tibi devinxit res aut fortuna, perenni
 20 numquam dediscis continuare fide.
 21 Semper amicus erit, semper tua gratia durat,
 22 qui tibi amicus erit, semper amicus erit.
 23 Ferdinande, alii reges et regna fuerunt,
 24 nemo tamen, qui sic regna tenebit, erit.
 25 Invictus bello, justusque in pace triumphas,
 26 armis, consilio, milite, rebus, equis.
 27 Di tibi perpetuent regnum, tua pignora servent,
 28 sanguis Aragonius quolibet orbe regat.

DUCI CALABRIAE.

E8_27 v.1 Nunc, Alphonse, meis faveas, dux inclyte, votis
 2 non obscura tibi gloria factus ero.
 3 Quid referam ? Quaeris ; non est, dare praemia regi,
 4 at mea siquid habet vena, perennis eris.
 5 Gloria sola potest factis extendere vitam
 6 et spatii metas vincere fama sui.
 7 Occidit imperium, labuntur regna, cadentque
 8 omnia : sola diu vivere fama potest.
 9 Fama tamen nulla est homini nec gloria major,
 10 praesidio multos quam relevare suo.
 11 Regibus hoc proprium est, haec summa in principe virtus,
 12 hoc opus est Superum ; cetera praestat homo.
 13 Sic, Alphonse, tuo, quo nil tulit altius orbis,
 14 illustri fies nomine major avo.
 15 Cumque alios possis, primos extollere debes,
 16 commendant regni quos tibi jura tui.
 17 Terra rogata, quid esset ; et unde quod insita tarde,
 18 nataque per sese cresceret herba cito ?
 19 Respondit : facilis mater, praedura noverca ;
 20 largius haec, modice praebet at illa cibum.
 21 Jure igitur merito debes, Alphonse, juvare,
 22 et dare, quo possint crescere ad alta tui.

DOMINO JOANNI CARD. DE ARAGONIA.

E8_28 v.1 Splendor Aragoniae stirpis regumque, Joannes,
 2 cui natura dedit prodiga, quicquid habet.
 3 Illa tibi ingenium virtutis et aurea dona,
 4 non ferro aut igni deperitura dedit.
 5 Illa tibi placido sanctos in pectore mores,
 6 unde amor et studium nascitur, unde fides,

7 illa etiam vultus et laeta gaudia formae,
 8 quale auro docilis dextera junxit ebur.
 9 Omnia virtuti cedunt, fuit Herculis illa,
 10 dux ad Tartareas tendere posse vias.
 11 Illa Jovi ad caelum, sublimiaque astra beatis
 12 omnibus, ut dicas, unica fecit iter.
 13 Contemnit ferrum, flammaeque incendia ridet,
 14 digna olim claris regibus illa fuit.
 15 Hanc tu vel teneris, Princeps, complexus ab annis,
 16 ipsius aeterno munere vivus eris.
 17 Eripit haec homini mortem, praeduraque solvit
 18 fata, licet vitam longius ire tuam.
 19 Regum animos haec sola decet, stat sola decori
 20 hortatrix, monitis hujus iniqua fugis,
 21 et sequeris laudem, numquam moriturus habebis
 22 post mortem nomen, quod dare fama potest.
 23 Di regem statuere, locumque dedere priorem,
 24 cum loquimur regem, dicimus esse Deum.
 25 Namque deus totum regit orbem legibus aequis,
 26 regis erit partes quemque tenere suas,
 27 commissos homines servare et cernere, qui sint
 28 digni luce, alios cogere digna pati.
 29 Denique et hoc verum et primum et super omnia sanctum :
 30 virtus sola facit et benefacta Deos.

AD CARDINALEM GRAECUM NICENUM.

E8_29 v.1 Cur nunc, Bessario, cum tutus fluctuat orbis,
 2 auxilium toto poscitur orbe tuum ?
 3 Gallia te absentem votis, Hispania votis,
 4 utraque, ni accurras, interitura vocat.
 5 Teque etiam, quam late patet, Germania poscit,
 6 utque alium implorat Graecia tota Jovem.
 7 Te solum atque unum inclamans Europa requirit,
 8 te Lybia et qua Sol datque negatque diem.
 9 Parte alia supplex, manibusque ad sidera junctis,
 10 ne se destituas, inclyta Roma petit.
 11 Italiaeque urbes omnes atque oppida et agri,
 12 ut secum maneat et tueare, rogant.
 13 Pectore et invictus classes atque arma sagaci,
 14 et quicquid Turcum vincere possit, habes.
 15 Tu modo per notos solvas pia lintea cursus,
 16 ardua adire tuum est, vincere dura tuum est.
 17 Cum tu, quod facies, facunda resolveris ora,
 18 vel Scythica in nostram saxa movebis opem.
 19 Bessario nam dura potest et fortia solus
 20 flectere, et eloquio vincere, et ingenio.

AD FILIUM DUCIS URBINATIS.

E8_30 v.1 Praeclari generis spes unica, certa parentis
 2 effigies, sanctis moribus aucte puer.
 3 Sis felix, referas, Guido, Feltrensia gesta,
 4 et superes omnes, quos memoramus, avos.

5 Auspiciisque tuis crescat domus inclyta, in omnes
6 ut pater, utque alii, continuando fidem.

AD ANTONIUM FELTRENTEM.

E8_31 v.1 Antoni Feltrensis, equum tua gloria prima
 2 flectere, ut in gyros ; praecipitante noto,
 3 ut solet aereo correptus turbine ventus,
 4 in partes omnes hoc peragente manu.
 5 Altera sed virtus, pugnaci assistere patri,
 6 illius aequato currere in arma gradu.
 7 Di faxint, tam sis felix, sic numina praestent,
 8 invictum exhibeas, ut fuit ipse, ducem.

AD FILIUM DOMINI DE CAMERINO.

E8_32 v.1 Caesar, Varani proles verissima Juli,
 2 nomen ut est, etiam sic tibi fama patris.
 3 Ingenio praestes, praestes et fortibus armis,
 4 mille acies una sint tibi pompa die.
 5 Sis verus, canamque fidem servabis amicis,
 6 de te nemo queat Caesare jure queri.
 7 Prima fuit magno virtus in Caesare, bellis
 8 pugnare, ac virtus altera pura fides.
 9 Ingenii laus est in tertia, si haec mihi praestes,
 10 tum vero haud ficto nomine Caesar eris.

AD COSMUM.

E8_33 v.1 Quae te tangere, Phoebe, quae movere
 2 tandem tura queant ? Licebit umquam
 3 tam longo semel excitare lecto
 4 vitae dimidium meae, nec atra
 5 siccum stringere pelle Salviatum ?
 6 Affer jam, affer opem, sines perire,
 7 vatis delicias, simulque vatem.
 8 Si nescis, Claria superbe lauro,
 9 non unus tibi, Phoebe, nunc petibit :
 10 uno nam duo concidemus ictu,
 11 una qui duo fluctuamus unda.
 12 Quod fertur Pyladi fuisse Orestes,
 13 quique una petiere deligatum
 14 terna sub Styge Cerberum catena,
 15 hoc ipsum fuit, est, eritque semper
 16 aeterna mihi lege Salviatus.
 17 Annos ille meos meamque sortem
 18 vivet, si quid habet futuri Apollo,
 19 quod tristis nequeat rogos vorare ;
 20 nec totum cinis auferat poetam.
 21 Mellito mihi dulcior liquore,
 22 Romae Cosme decus, quid obgelatam
 23 extra mittis aquam ? Fovendus igni est,
 24 qui sudat medio tremens Decembris,

25 si potum dare, Cosme mi, volebas,
26 mississes Jovis amphoram ministro.

AD PROTONOTARIUM URSINUM.

E8_34 v.1 Aurum dum poscit mensa Binellus aperta,
2 per totum auditur garrulitate forum,
3 huic loquitur, vocat hunc alium de more salutatur,
4 poscit ab hoc, repetit, clamat, in ora tonat.
5 Mox ubi decoxit, vulgoque reposcitur aurum.
6 Ne reddat, volvit pectore, neve neget.
7 Mentitus casum fit mutus, mensibus octo
8 nil loquitur, dum quis exigit, ipse tacet.
9 Non negat, est verus, ne cogas, nulla fatetur,
10 nec vult Binellus fallere, nec luere.
11 Et sapit, et vere est Binellus : binus in uno est,
12 debitor est mutus, creditor est blatero.

AD EPIDAUROM.

E8_35 v.1 Per Numen rogo te Patris tuumque,
2 accurras, Epidaure, Salviato,
3 et quotquot potes, experire succos,
4 reddas incolumen sibi mihique,
5 et reddas cito, Phoebe, Salviatum,
6 qui vita mihi carior ; bimestri
7 afflictus jacet aestuatque lecto,
8 et Ditis tetigit fores, pedemque
9 ad nos rettulit, impiosque Manes
10 expiavit Stygio lacu natantes.
11 Nobiscum maneat, diuque vivat,
12 Campanoque suo suaque matri
13 et caris quoque fratribus superstes.

AD XANTUM.

E8_36 v.1 Deposcit vacuum Thalia pectus,
2 et curas fugit otiosa Clio ;
3 verum aures mihi centies flagellat
4 hora qualibet ille postulator,
5 atque illa una datur quies labori,
6 si quando vigilo ad tuam lucernam.

PROTONOTARIO URBI.

E8_37 v.1 Cantu adeo Musae gaudent, et gaudet Apollo,
2 ut videar, quoties audio plectra, mori.

AD GRIFUM.

E8_38 v.1 Grife, meos primus, quantum memini, inter amicos,

2 cujus ab ore venit ventus et aura bonis,
 3 Andum turbati sedasti Principis iram,
 4 qui numquam irasci non ratione solet ?
 5 Sic ego vel summo digitos apponere caelo,
 6 et magnum potui confodere ense Jovem ?
 7 Usque adeo, demens, sensu defectus ab omni ?
 8 Quam mallet penna, quam caruisse manu !
 9 Sed satis hoc fuerit, laesus si Jupiter esset,
 10 errati quemquam paenituisse sui.
 11 Paenitet et deploro miser mea fata Tiferi,
 12 spesque mihi veniae Principis una datur.

AD QUARQUALIUM.

E8_39 v.1 Quarqualius solus, quem tu mireris, in urbe est,
 2 cetera nam populus turba, relinque alios.
 3 Hic sapit, hic quantus quisque est, dijudicat, hic se
 4 metitur, doctos hic bene doctus amat.
 5 Contemnit, quae sunt fortunae, praemia soli
 6 virtuti censet danda, beatus homo est.
 7 Huic ego caelestes humilis precor ordine duces,
 8 ad vitae spatium crescat ut ille meae.
 9 Di sibi dent comitem Falconem, et me quoque, nil hic
 10 carius ; antiqua junctus uterque fide.

EPITAPHIUM.

E8_40 v.1 Juncta viro conjunx septem Catherina per annos,
 2 sex illi natos, pignora cara dedi.
 3 Dotibus eximiis quantum fuit altera nulla,
 4 sed fatum non est vincere cuncta rapit.
 5 Sic quaecumque venit rebus mortalibus hora
 6 esse potest nobis ultima : vita fuga est.

AD GRIFFUM

E8_41 v.1 Grife, vales, an non ? Numquid tua prospera vota ?
 2 Fluctuat an tumido nostra carina mari ?
 3 It mea cymba Notis isdem, tam navigo felix,
 4 quam venit ad cursus aura secunda tuos.

AD STACCOLUM.

E8_42 v.1 Staccole, cui Superi cedunt, et gratia tanta est,
 2 quanta solet, medio cum sedet orbe Jovi.
 3 O ego si possem tecum concurrere bello,
 4 figere vel molli spicula dura pede !
 5 Sed periit tempus, et nos cum tempore : vita
 6 cum magis est laeta, sub pede lapsa fugit.

AD XANCTUM CERASIVM.

E8_43 v.1 Xancte, quid urbe facis ? Quae grandia ? Comoda quae sunt ?
 2 Quarquali quae fors ? Non tibi nota mei.
 3 Ne deus antiquo perspexit numine, quicquid
 4 opto : meis votis dant Papiensis opes.
 5 Nuper ab Etruscis misit mihi providus auri
 6 quantum opus, et quot nunc vota fuere mea.

Sic debent esse domini, sic dominorum servi.

¶ Finis octavi libri & ultimi.

